MASTER NEGATIVE NO. 92-80620-5

AUTHOR:

BIERMA, JAN WATZES

TITLE:

QUAESTIONES DE PLAU-
TINA PSEUDOLO

PLACE:

GRONIGAE

DATE:

[1897]

Master Negative #

92-80620-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B32411          Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID NYCG92-B32411 - Record 1 of 1 - Record updated today

  ID:NYCG92-B32411              RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:05-08-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:        UD:05-27-92
  CP:ne      L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:s       PD:1897/           REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Bierma, Jan Watzes.
  245 10   Quaestiones de Plautina Pseudolo‡h[microform]‡csubmittet Jan Watzes Bi
       erma.
  260      Gronigae,‡bScholtens & Zoon,‡c[1897].
  300      153 p.‡c22 cm.
  LDG      OCLC
  QD       05-08-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/8/93 INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QVAESTIONES . DE . PLAVTINA . PSEVDOLO

J . W . BIERMA.

GRONINGAE — SCHOLTENS & ZOON.

QVAESTIONES DE PLAVTINA PSEVDOLO.

QVAESTIONES DE PLAVTINA PSEVDOLO.

SPECIMEN LITTERARIVM INAVGVRALE † † † †

QUOD ANNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI G. WILDEBOER IN FAC. THEOL. PROF. ORD. AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA GRONINGANA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JAN WATZES BIERMA A PAGO WAAXENS DIE XXX MENSIS NOVEMBRIS ANNO MDCCCLXXXXVII HORA III.

GRONINGAE — SCHOLTENS & ZOON.

CORRIGENDUM:

Thesium p. IV errore thypothetae duae deinceps theses numero XXIV notatae sunt.

CAPUT I.

DE FABULAE PSEUDOLI ARGUMENTO, INDOLE, TRADITIONE.

§ 1. Si antiquorum divisionem sequimur, quae fabulas in motorias et statarias distinguit, haec comoedia motoriis attribuenda est. Sin autem divisionem ad recentiorum rationes magis accommodatam secuti, comoedias Plautinas diviserimus in mythologicas — quarum materia e re mythologica desumpta sit —, ethicas — quae in exprimendis moribus atque ingenio alicujus personae versentur —, actuales — quarum argumentum actione quadam contineatur, in certam tanquam intentionem atque nodum se perplectente dissolventeque deinde in exitum probabilem — fabula nostra inter duo ultima genera medium obtinere locum videtur. Neque enim ut in Aulularia omnia in exprimendam unius hominis indolem conferuntur, neque ut e. g. in Poenulo perplexio actionis et rursus ejus explicatio totam fabulam complectitur. Generi ita attribuenda est mixto, quum argumentum et ad demonstrandos Ballionis mores aptum sit et dolis Pseudoli et variae actioni campum praebeat. Quod adumbrato ipso argumento melius cernetur.

§ 2. Act. I, sc. 1. Pseudolus servus filium erilem Calidorum interrogat, cur aliquot jam dies tam tristis sollicitusque fuerit. Huc pertinere videri tabellas quasdam,

quas secum gestet adulescens et identidem legat relegatque non sine lacrimis. Adulescens eas servo tradit, ut ex iis certior fiat, quae ipsum res animi excruciet. Pseudolus litteras recitat, quarum haec sententia: Calidori amica Phoenicium amatori suo scribit, veniisse se militi Macedonio, proximis Dionysiis abductum iri; militem lenoni quindecim minas statim numerasse et anulum in cera expressum reliquisse symbolum, ut qui ejus similem cum quinque minis attulisset, ei leno mulierem traderet. Cras autem Dionysia aderunt: ante igitur adulescenti aliquo modo pecunia comparanda est, qua militem anteveniat. Servus desperanti adulescenti sollemniter se ei viginti minas paraturum esse promittit.

I, 2. Eorum sermonem crepitus ostii interpellat: leno egreditur comitantibus servis et meretricibus. Homo acerbus malignusque ferociter servos alloquitur, cum multis maledictis et plagis suum cuique munus imponens: ipsius enim diem natalem esse, quo viris primariis, qui, haud propter ipsum, ejus domum frequentent, convivium daturus sit; ei rei omnia esse paranda. Deinde ad mulieres conversus cum gravissimis quamque minis jubet efficere, ut amatorum suorum dona largiter ipsius domum comportentur.

I, 3. Ingressum deinde viam ad forum sequuntur Pseudolus et Calidorus, diu frustra ab eo petentes, ut subsistat sermonisque copiam faciat. Tandem servus, ut qui ingenium probe norit, voce ‚lucri' usurpata efficit, ut gressum contineat. Deinde sermo confertur, servus adulescensque lenonis veniam petunt, quod Calidorus die statuta pretium pro amica non solverit, deinde ut paucorum dierum moram adhuc adulescenti concedat, orant. Leno respondet, se non jam eam venalem habere. Vera verborum vi non perspecta, Calidorus magnopere gaudet; sed mox cognito, lenonem ideo eam non jam venalem habere, quod jam vendiderit, gaudium in iram commutat. Erus servusque hominem perfidum variis maledictis

onerant; frustra, nam talibus nil commovetur. Tamen promittit, si non eo ipso die miles argentum attulerit, se adulescenti virginem concessurum esse, dumtaxat si prior viginti minas dederit. Post lenonis digressum, servus aliud ei se missurum esse profitetur, quo minus gaudeat: ad perpetrandum suum institutum, auxilio amici fidelis opus esse, ero minori affirmat. Is ad eum quaerendum proficiscitur.

I, 4. Servus se cum poeta comparat, qui quod nusquam sit, inveniat: simili modo se viginti minas, quae nusquam sint, inventurum esse. Tacet, cum appropinquant erus major Simo cum Calliphone vicino, ut eorum sermonem capiat. I, 5. Simo queritur de vita damnosa filii. Callipho omnes in adulescentia talia facere, ipsum Simonem fecisse, respondet. Servus hanc liberalitatem admiratus et admirationi indulgens exclamationibus, se ipse prodit senibus. Simo statim infestus eum petit ut corruptorem filii, a vicino sedatur. Quaerunt ex servo, num Calidorus amicam liberare voluerit. Ille confitetur. Simo deinde, quid nunc incipiat: se enim, a quo argentum petituri fuissent, praecavere neque amplius falli posse. „Attamen dabis", respondet servus. Simo mirari, credere nolle: servus etiam majus aliquid promittere, etiam a lenone se tibicinam illam, Calidori amicam, abducturum esse. Simo ratus se facultatem perdendi servi repperisse, laudat ejus praestantiam, si effecerit, si non effecerit, graveturne, rogat, ire in pistrinum. „Me totam vitam eo condito", inquit ille, „verum si effecero, dabisne tu viginti minas, quibus opus est"? Negare Simo nequit: sic captator captus. Pseudolus Calliphonis quoque auxilium inpetrat, deinde omnes abeunt.

Act II, sc 1. Pseudolus foras denuo progressus, gloriatur copioso suo ingenio, omnibus fraudibus fallaciis instructo: se consilia jam excogitasse ad defraudandum prius lenonem, deinde erum majorem. Sed appropinquat homo peregrinus, militari aspectu, aedes lenonis quaerens. II, 2. Statim Pseudolus eum nuntium militis esse intelligit. Itaque rejecto priore consilio se procuratorem Ballionis

esse simulat, qui maxima fiducia apud erum utatur, ut jam ero absente sibi argentum dari possit. Sed quamvis callide res sit instituta, miles cautus est neque argentum tradit, symbolum tamen ei haud cunctatur tradere; putat enim nihil periculi in eo inesse, si leno ita sui adventus certior fiat. Ipse deinde revertitur ad deversorium, unde servus se, postquam leno domum redierit, accersat. II, 3. Pseudolus symbolum adeptus jam satis superque negotio procedente laetatur; cantico magnam fortunae potestatem extollit, qua fautrice homines magni et sapientes, adversante ignavi et stulti dicantur.

II, 4. In hoc tempore optati ei adveniunt Calidorus et ejus amicus Charinus. Iis rem breviter explicat: nunc sibi opus esse homine versuto et callido, qui sub falsa imagine militis peregrini, quinque minis instructus, ante reditum veri nuntii militarisPhoenicium abducat. Et hominem ornatumque et argentum Charinus promittit. Deinde pacti, ut in foro mox conveniant ad omnia paranda, abeunt.

Act. III, sc 1. Puer lenonius acerbam lenonis servitutem conqueritur. Adventu lenonis redeuntis a foro et coquum secum ducentis tacet. III, 2. Gloriatur coquus sua arte: se ejusmodi dapes instruere, ut convivae sibi digitos praerodant. Ipsum Jovem suorum ciborum odorem cenare solere: nisi ipse coquat, illum incenatum esse. Alios coquos condimentis uti, quibus intestina exedantur, ipsum vero ad beatitudinem et paene immortalitatem convivarum epulas parare. Lenoni vero furtum suspicanti gloriantis coqui verba taedium movent. Jubet eum festinare et coquendo jam operam dare; servo alicui mandat, ut omnes gestus, omnia facta coqui observet, nequid auferat; deinde solus in scena remanens rerum statum secum computat: se inter duos exercitus esse, furem esse intus, praedonem in proximo: in foro enim vicinum Simonem ipsum monuisse, ut a Pseudolo caveret, qui se Phoenicium per dolum abducturum firmiter promisisset. Deinde intus it, ut moneat omnes, ne Pseudolo credant. Act IV, se. 1. Pseudolus a foro revertitur, comitante Simia sycophanta, in speciem militaris nuntii exornato. Est homo tam callidus, tam fraudulentus et malus, ut Pseudolus eum et summopere admiretur et metuat, ne in ipsum illa nimia fraudulentia abutatur. IV, 2. Lenonem forte aedibus egressum Simia statim adoritur. Tam circumspecte rem gerit, tam sollerter omnes difficultates superat, ut leno non dubitet Phoenium ei tradere, cum et anulum militis et argentum afferat. IV. 3. Cum tamen introeunt ad petendam mulierem, magnis curis adhuc Pseudolus sollicitatur, ne erus Simo praemature a foro redeat, aut Simia, dum intus est, aliqua imprudentia se prodat. IV, 4. Sed mox hic cum Phoenicio egressus eum curis liberat; festinanter inde facessunt, ut praemiorum propositorum participes fiant. IV, 5. Leno deinde progreditur laetus, quod a Pseudolo jam securus sit. Illum jam in pistrinum iturum, ipsum autem nimium velle convenire Simonem, ut mutua laetitia fruantur. IV, 6. Simo advenit spectatum, num Pseudolus rem jam perfecerit. Statim leno eum confirmat, et priusquam ei rem explicaverit, etiam sponsione, qua viginti minas Simoni promittit, si Pseudolus promissum solverit, omne damnum Simonis in se recipit. Deinde narrat, quae facta sint: militem Macedonium, cui aliquanto ante mulierem vendidisset, eam jam abduxisse. IV. 7. Iis de ea re sermonem serentibus advenit verus Harpax. Leno putat eum peregrinum esse, qui, ut voluptati indulgere possit aedes ipsius petat. Cum vero Harpax ipsi quinque minas offerat et missu militis virginis causa se venisse aperiat, eum habet pro sycophanta quem Pseudolus subornaverit. Cum Simone illum ut fraudulentum hominem et nequam proterve illudit, quoad Harpax primo turbatus et nihil intelligens, tandem irascitur et plagas minitatur. Tunc paullatim tota res cognoscitur et fraus Pseudoli patefit. Lenoni quindecim minae olim acceptae Harpagi reddendae sunt et Simoni insuper viginti debet.

Act. V, 1. Pseudolus ebrius progreditur, laudibus

efferens convivium, ubi modo cum ero minore ejusque amico se bene habuerit. Nunc se Simonem promissi commonefacturum esse. V 2. Is, quem fortiter fores pultans, magna voce, appellat, foras egressus primo ut dominus, mox promissi argenti memor, ut supplex, Pseudolo ne totam pecuniae summam quam debet persolvat, efficere conatur. Frustra; neque precibus neque minis adducitur, ut alicujus partis argenti veniam ei faciat. Iratus Simo tandem argentum tradit et, poenas minatus in futurum, abit. Nunc vero Pseudolus eum revocat, promittitque se effecturum, ut filius partem argenti ei reddat, si se in convivium comitatus sit. Ille obsequitur et servo eum interroganti de ea re, ne iratum quidem se esse, dicit.

§ 3. Eorum, qui de arte, qua Pseudolus scripta sit, judicium tulerunt, sententiae magnopere inter se discrepuerunt.

Lorenzius in notis criticis editionis suae nonnullorum nomina affert, qui de hac fabula minus benevole judicaverint.

Quorum ad opera quum mihi aditus non pateret, per unum Lorenzium judicia eorum necessario cognovi. Qui eos vituperat, quod neglectis multis, quae in Pseudolo praeclara essent, hanc fabulam pro scurrili ludo habuerint. Memorat autem J. Naudet, (Théatre de Plaute, traduction nouvelle. 9 voll. Paris 1837 sqq.). Rapp, Geschichte des Griechischen Schauspieles pag. 330 sqq., J. T. E. Danz, M Accius Plautus, Lat. und Deutsch, Leipzig 1806—1809, Rost, Op. Plautina, vol I. Haec autem omnia scripta sunt, antequam magna doctrina et praeclaro labore Fri. Ritschelii vera scriptorum Plautinorum indoles atque natura detecta est. Mutata existimatione de oratione et re metrica Plauti simul de poeta multo aequius judicare homines coeperunt. Antea auctoritas Horatii nimis valebat et omnino omnium Latinorum criticorum qui prae elegantia Terentii Plautum ut rudem et vulgarem aspernati erant.

Plerique post renatas litteras in eam sententiam parum aequi judicis concesserant [1]).

Post Ritschelium autem communis illa opinio mutata est. Quae commutatio qualis fuerit, optime e brevi quadam recensione omnium fabularum Plautinarum, qua quaeque arte conscripta esset, cognosci potest. Ea recensio quae feminae debetur, in Mus. Rhen. edita est, anno 1851. Opusculis suis inseruit Ritschelius (II, pag. 732 sqq.). Haec enim recensio Plauti peritorum judicium de ejus arte in universum praestare videtur: probavit eam Sauppius, Ritschelius ipse, Lorenzius.

In ea de nostra fabula in hunc modum (pag. 741):

„Ein gleicher Triumpf (sc. atque Tranionis in Mostellaria) spricht sich im Pseudolus aus, ein gleich geniales Spiel mit den Verhältnissen, ein vielleicht noch höherer Grad von beschaulichem, künstlerischem Behagen des Handelnden selbst an diesem Spiel. — Den Gipfelpunkt des psychologischen Interesses möchten wir weder in die scène mit Ballio oder sonst wem legen, sondern in das Selbstgespräch des Pseudolus, in welchem ihn seine eigene Schlauheit, in der fremden Individualität des andern Sklaven sich darstellend, selbst bange macht."

Multo magis etiam Lorenzius hanc fabulam videtur admiratus esse, qui non partes judicis sed laudatoris, neque id optimi generis, suscepit: „Von dieser Inconsekwenz abgesehen, thun die übrigen, die eine genauere Analyse nachwies, dem Gesammteindrucke in keinerlei Weise Abbruch: er ist unwiderstehlich hinreissend, mächtig und frisch, und hinterlässt bei dem hochbe-Leser das sichere Gefühl, dass er hier nicht bloss ein

[1]) Aliter judicavit Gronovius, dedicationis ad Colbertium pag. III: „quem facetiarum et urbanitatis vernaculae fontem; quem linguae atque elegantiae in verbis latinis principem; cujus sermone si latine loquendi sit animus, Musas usuras, ejus linguae scientes imprimis dixerunt et judicarunt."
Sed ultra judicium de oratione Plautina non progreditur.

friedigten Lieblingsstück, sondern auch ein Meisterstück des Dichters vor sich habe." cet. (Einl. ed. pag. 25).

Breviter judicium suum adumbravit, qui multis locis subtilem artis judicem praestitit quemque in talibus rebus magni existimo, W. S. Teuffel: „in Haltung, Ton und Form von einer gewissen Reife, in Aufbau etwas locker." (Gesch. der Röm. Litt.[5] pag. 155).

Sane noluerim eorum probare rationem, qui antiqua opera cum nostrae aetatis scriptis conferunt itaque, utra praestantiora sint, disceptant. Magnum enim periculum est, ne remota et insolentiora pro vitiosis habentes, illis, quae aliis temporibus, aliis moribus composita sunt, judices fiant iniquiores. Praeterea nulla ratio aeque sterilis esse potest quam haec, quae — ut magno intervallo distantibus omnia similia apparent, neque colores neque formae discernuntur — ad rectam litterarum doctrinam atque historiam, qua suus cuique locus scriptori detur, perducere non potest.

Eam tamen sequantur necesse est, qui Pseudolum ludum vulgarem esse velint. Omnes enim justae comoediae numeros explet, cum neque πρότασις neque ἐπίτασις neque καταστροφή desit, cumque materia tam ingeniose inventa quam consilio disposita sit. Imitatur etiam poeta mores cujusque hominum generis: adulescentis, servi, lenonis, senis. Neque hoc recte objici puto, siquis contendat ad recentiorum subtilitatem his morum picturis non perveniri. Nam antiqua ethopoiia non in singulis hominibus depingendis, sed in generibus versatur [1]); sicut

---

[1]) In quibus quidem eximiam artem et subtilitatem recentioribus non cedentem interdum assequitur; quod exemplo insigni ostendam.

Mil. Glor. 752.

Próletario sermone nunc quidem, hospes, utere:
Nam í solent, quando accubuere, ubi cena adpositast, dicere:
Qúid opus <facto> fuit hoc sumptu tanto nostra gratia?
Ínsanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem.

omnino et antiquae comoediae et recenti, quae his temporibus floret, sua cuique praestantia est.

Pseudolus igitur justa comoedia est, neque in instituto vituperanda sed in instituti effectu. In initio fabulae spectatoribus ostenditur, ingenium lenonis quam malum sit; omnia ejus facta sunt invidiosa: tamen quadam prosperitate utitur, itaque res eo adducitur, ut spectatores ejus malam fortunam quasi praesagiant. Hujus consilii unitas et simplicitas addita frustratione Simonis turbatur. Praeterea totius partes inter se male cohaerent; quae in prioribus inchoata fuerant, in posterioribus relinquuntur, similia repetuntur, incongrua inducuntur.

Laus igitur in singulis partibus posita esse debet. In quibus etiam multa sunt probanda: imprimis prima scena (Act I), luculentum justae expositionis exemplum, perspicua, vivida, abundans dictis jocisque, et ante omnia, scena tertia Act II, nobilissimun illud de fortuna canticum, ubi Plautus augustorum verborum suavi dulcedine et excelsa sententiarum subtristium pulchritudine aures animosque unice capit. Quantopere etiam delectat cum versuta frustratio Harpagis, tum ingeniosum inventum, lenonem tantis tenebris occaecatum esse, ut pro falso verum Harpagem eludat, deinde illud quod Pseudolus eam, qua ipse gloriatur, calliditatem in Simia timet.

Sed ne hic quidem omnia similem bonitatem habent: jejunae et aridae sunt scenae 5 et 6 Act. IV, scena 5 Act. I inconcinnitatis plena est, quam frustra deletis hic illic versibus viri docti tollere conati sunt; in sc. 3 Act. I res nimis trahitur, duae illae Ballionis orationes sc. 2, etsi valde placet utraque, si per se spectes, similitudine materiae quodammodo satietatem movent.

Itaque quamquam in Pseudolo multa bona sunt, multa

Quod eorum causa obsonatumst, culpant et comedunt tamen.

Vs. 754 *facto* addidi conjectura Speyeri.

delectant, eam fabulam non opus eximiae artis duco et laudibus, qualibus Lorenzius eam ornavit, indignam censeo. Meum autem judicium sic fortasse non absurde brevi concluserim: Pseudolo Plautum ostendisse, quo pervenire potuisset, si aut melius intellexisset, quid justae compositioni deberetur, aut voluntas tempusque perpoliendi eum non defecissent. Quare illud Horatianum:

G e s t i t e n i m n u m m u m i n l o c u l o s d e m i t t e r e. (Ep. I, 1, 175)

non plane rejecerim. Nam etiamsi fortasse minus veritate nititur, tamen bene verbis complectitur, quo modo lectione fabularum Plautinarum saepe animis afficiamur.

§ 4. Inde ab Aristophanis Pluto in scenam acta, quae a ratione et indole antiquae comoediae magnopere discrepat, atque ob eam rem magis quam ob suum ingenium Novae Comoediae attribuitur, usque ad tempora Menandri, Nova Comoedia adoleverat, suamque naturam et habitum ceperat, quae nisi cum ipsius interitu mutari non poterat. Hanc ob rem notatu digna sunt pauca illa exempla, in comoediis Plautinis et Terentianis nobis servata, ex quibus cognoscimus, quam paullulum ii poetae, qui novi aliquid, ausi sunt, ab antiquo instituto recesserint, ut eorum innovationes a nobis acerrima tantum animi intentione cernantur [1]).

Itaque comoedia certas quasdam atque stabiles figuras excoluerat, quae paullum variatae semper semperque in

---

[1]) Conf. L e o, P l. F o r s c h. pag. 126. „Dieser Hinweis (nullam amationem esse in captivis) rührt ohne Zweifel vom Dichter selbst her und ist eine merkwürdige Spur von Reaction gegen die erotische Komödie" sqq.

Ib. not 4. Zeichen einer ähnlichen Reaction oder bewussten Abweichung von den gebildeten Typen zeigt ausser den Captivi die Hecyra Apollodors: der in seine Frau verliebte Jüngling, der neugierige Sklave, der statt als Vertrauter eingreifen zu dürfen immer fortgeschickt wird und nichts erfährt, die Hetäre, die ihrem treulosen Liebhaber zur Frau verhilft, das ist alles neu, und soweit unsre Kenntniss reicht antimenandrisch. Bacchis hebt beständig ihre Abweichung vom Hetärentypus hervor"

Etiam in Persa, ubi servi liberorum partes agant, tale quid inesse videtur.

quaque fabula redirent. Quae res quum jam antiquorum lectorum animum acciderit, etiam eas figuras paucis verbis adumbratas jam apud antiquos invenimus. Velut Apul. Flor. 16, 64:

„Et leno perjurus [1]) et amator fervidus et servulus callidus et amica inludens et uxor inhibens [2]) et mater indulgens et pater [3]) objurgator et sodalis opitulator et miles gloriator, [4]) sed et parasiti edaces et parentes tenaces et meretrices procaces."

Inter eas et in fabulis maxime vulgata et ad historiam comoediae maximi momenti est figura s e r v i c a l l i d i, vel potius dicam, servi fidelis, quo nomine omnia exempla melius continentur et origo melius indicatur. Ea figura enim servum proponit eri assiduum comitem, omnium laborum participem, qui eum sua calliditate et consilio ex omnibus periculis laboribusque expedit. Et Tyndarus in Captivis et Carion in Pluto hujus generis sunt. Etiam in litteris recentioribus inde progenita persona (le domestique fidèle) suas habet partes.

Antiqua vero comoedia nulla fere est, quin huic figurae, ad indolem ipsius comoediae paullum tantum varianti — ut in Captivis Tyndarus, in Milite Glorioso Palaestrio, in Asinaria Leonidas Libanusque quasi colorem suae quisque comoediae ceperunt — magnus locus detur.

Duo autem in eorum ingeniis praeter alia sunt insignia: summa — ut dixi — calliditas, [5]) tum maxima dicacitas. [6])

---

[1]) Injuria *perfidus* Aarlt, maxime perjuria lenonis propria est: conf. § 8.

[2]) *Imprudens* Crusius, fortasse recte.

[3]) Sic ego pro *patruus*, quae figura in comoedia omnino non fuit.

[4]) Traube, pro *proeliator*.

[5]) Eam ingenii partem antiqui certatim in eo notaverunt, ut paene in proverbium abierit; conf. praeter locum Apuleji s.l. Numenius, Praep. Evang XIV, 7: (Kock fr. C. G. pag. 418) *οὐ μέντοι ἀλλὰ οἵ γε παῖδες φόρτακες ἦσαν καὶ οὐ θατέρᾳ ληπτοί, οἷοι δὲ οὗτοι κωμῳδικοὶ οἰκέται Γέται καὶ Δᾶοι.*

[6]) Pseud. 24 L u d i s j a m l u d o t u o? (sic enim cum A. legendum est), Bacch. 203 j a m n e u t s o l e s? Heaut. Tim. 982 i n r i d e s i n r e t a n t a? Conf. Curc. vs. 45.

In omnibus rebus et secundis et adversis suum obtinet servus, in illis jocando et ridendo, in his ringendo, ut ridere videatur. Etiam illud jocari hujus personae adeo proprium est, ut vel in figura tam severa, quam est Tyndari Captivorum, non omnino deficiat. [1])

Iis propriis et innata quadam jactantia, [2]) qua sua facta ridicule extollit immoderatamque suae calliditatis ostentat fiduciam, servus optime accommodatus est ad sustinendas ludicras fabularum partes. Fortasse hanc ipsam ob rem in iis omnibus, et maxime etiam in Plautinis, tantum occupat locum in scena, ut plerumque primaria persona sit, aliaeque tantum adhiberi videantur, quibus ad suos ludos utatur. Fuit in deliciis, opinor, spectatorum, poeta huic exornando maximam operam impendit; omnes doli et fraudes postremo nihil huic nocent, atque etiam contra artem et veri similitudinem aliquo modo veniam impetrat omnium malefactorum [3]). Et re vera saepe tam stulti sunt, quos decipit, senes aut milites, tam mali et perjuri lenones, ut ipsi non possimus, quin ludificatori lepido ludos suos condonemus. Tam lepide paratragoedat ficticiis cothurnis incedens, [4]) tam festive philosophatur, sententiolas vulgatas in ludicrum detrahens aut de rebus vilibus docte et graviter disputans, [5]) ut

1) Capt. vs. 266—269, III, 4. Recte apud Ritsch Op. II 737: „Denn in der That hat es (haec fabula) nur so viel Scherz als Zuthat um kein vollkommenes Rührstück zu sein.

2) Conf. Pseud. 394—413; 562—572, 574—591; Bacch. 761—769; Most. 409—419; Eun. 923 sqq..

3) Huc pertinet definitio grammaticorum: 'καταστροφή conversio rerum est ad jucundos exitus' (Euanthius in Donat. pag. 8. Reiff.), nisi forte Aristotelis definitio tragoediae ex aliqua parte his verbis subest.

Veniam impetrant Dauos in Andria, Syrus in Heaut. Tim., Tranio in Mostellaria; libertatem Epidicus, Palaestrio in Milite Gl., Syrus in Adelph..

4) Bacch. 931 sqq.; Pseud. 702 sqq.. Confer utique Leo, Pl. Forsch. pag. 119 sqq.

5) Bacch. 816 sqq.:

Quem di diligunt
Aduléscens moritur, dum valet, sentit, sapit—
Hunc si úllus deus amaret, plus annis decem,

in iis quae minus recte fecerit, jam victi conniveamus.

Sed in omnibus ludis jocis gaudiis, sive vento secundo velis navicula utitur, sive tempestas exorta est et fraudem erus major comperit, servus callidus sollers nauta est marisque peritus et quem in portum tutum se ducturum promisit erum minorem non deserit. Nam etsi scit in eri majoris dominio se esse, ejus poenas sibi timendas, solum minorem habet, cui obsequatur et serviat. Ei igitur semper fidelis manet, etiam cum suo periculo. Qui, si agendum est cum lenone, lenonem, si cum milite, militem, adeo si cum patre, ipsum patrem, suum ipsius erum majorem fraude circumvenire non dubitat. Ero minori vero ubique comes est, sequitur in militiam, in captivitatem, in peregrinas terras ad negotiandum [1]). Quid mirum si etiam ei socius est ad luxuriam et dissipationem?

In iis tamen cunctis servile ingenium obtinet neque facile obliviscaris non liberum esse hominem. Potionis et cibi voluptatem [2]), etiam amoris dulcedinem, licet eri in amore intemperantiam imbecillitatemque saepe vituperet, tanti aestimat, ut in iis quin summum bonum positum

Plus jám viginti mortuom esse oportuit,
Terráï | odium | ambulat: jam nil sapit
Nec séntit: tantist quantist fungus putidus.

Ejusmodi est Men. fr. 240:

κατὰ πόλλ' ἄρ' ἐστιν οὐ καλῶς εἰρημένον
τὸ γνῶθι σαυτόν· χρησιμώτερον γὰρ ἦν
τὸ γνῶθι τοὺς ἄλλους.

Conf. etiam soliloquium Stasimi de corruptis moribus, Trin. 1028 sqq., Heaut. Tim. 279 sqq., Leo, Pl. Forsch. pag. 110 sqq.

Minus comoediae convenienter Pseudolus in nostra fabula philosophatur; sunt versus 677 sqq. pulcherrimi, sed ab ingenio saltem servi prorsus alieni.

1) Stasimus, Trin, vs. 721: Vídeo caculam militarem me futurum......

Tyndarus in Captivis cum ero captus est, Chrysalus in Bacchidibus Mnesilocho peregre comitatus erat.

2) Conf. Pseud. Act. V sc. 1, vs. 1257 sq., Hic (i.e in convivio lauto et opulento) ómnes voluptatés, in hoc omnés venustates sunt Deis próxumúm esse arbitrór; Bacch. 1074, 1075; Curc. vs 83, 84; Poen. vs. 257; Stich. Act. V sc. 5, 6, 7; As. 624 sqq.; Ter. Ad. 624 sqq.; Menandri fr. 547, 548 (Kock III, pag. 166).

sit, non dubitet, tali vita diis se appropinquare putet. Conveniens hoc homini inferioris condicionis, cui saepe in dura vita misere sit fueritque. Etiam quod adversus verbera aliasque poenas durus est, minus fortitudini quam usui attribuendum. Illa autem ad jocandum proclivitas, nonne plus acrimoniae quam laetitiae habet? Nonne est signum illius, quae hominum multa perpessorum propria est, duritiae? Nusquam enim quisquam poeta nobilem personam perpetuo jocantem et ridentem induxit? Sed apparet haec jocandi consuetudo in hominibus, qui subtiliorem animi sensum aut nunquam habuerint aut perdiderint.

Hujus generis Pseudolus noster est, non tam malus quam Tranio e Mostellaria, non tam sublimis quam Tyndarus ex Captivis vel Palaestrio e Milite Glorioso. Jocatur, fraudatur, philosophatur, potione et cibo delectatur, purus putus denique servus comicus est.

Hujus erus major olim dissolutis moribus, sed appropinquante senectute jam severus factus, dignus est, quem defraudetur, erus autem minor tantae imbecillitatis et inconstantiae, ita totus amori deditus, ut in quaque difficultate haereat, nisi Pseudolus auxilium ferat. Neque adulescens suae mollitudinis est nescius, ut servus si nullo alio modo eum ad constantiam paullo majorem permovere potuerit, sufficiat comminatio, se eum deserturum esse, ut statim efficiat, id quod petit [1]).

---

[1]) Conf. Pseud. 255 sqq. Simili ratione in Ter. Phormione Geta (et Phaedria) Antiphoni animi constantiam addunt.
vs. 244 sqq.
An. Nón sum apud me. Ge. Atqui opus est nunc quom maxume, ut sis, Antipho
Nám si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur
Cómmeruisse culpam. Ph. Hoc verumst. An. Non possum immutarier.
Ge. Qúid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc faciendum foret?

Hoc notabile in figura Pseudoli est, quod vicarium haud exiguam operis partem in se recipientem habet. Est huius imago Pseudolum quadamtenus exprimens sed ita exaggerata, ut omnia hujus propria in eo etiam aucta sint: est fraudulentior, versutior, pejor denique. Ipse Pseudolus ejus dicacitate et promptitudine in regerendis dictis ad silentium adigitur. Quid mirum, si hominem tam callidum, tam excellentem in suis artibus admiratur? Sed admirationi metus commixtus est, ne ipse tandem ex defraudatore defraudatus fiat.

Res imprimis attentione digna est eo, quod, quum duo solent adulescentes esse, duo senes, duae saepe meretrices, servus semper unus manere solet. At hic habemus rudimenta alterius servi callidi. In Asinaria vero, cujus exemplar graecum, ni fallor, postremae Novae Comoediae aetati attribuendum est, jam gemini servi insunt, mutuo alter alteri auxilium praebentes, facinora sua conjuncte edentes.

§ 5. Servus ille fidelis in comoediis plerumque operam dat expediendo adulescenti erili e multis difficultatibus, quibus aut propter amorem aut propter argentum haeret. Nam sive avaritia lenonis [1]) aut lenae [2]) hunc male habet, neque amore frui sinit, sive pater [3]), attentior

---

An Quom hóc non possum, illud minus possem. Ge. Hoc nil est, Phaedria, ilicet,
Qúid hic conterimus operam frustra? Quin abeo? Ph. et quidem ego. An. Obsecro
Qúid si adsimulo, satin est? sqq.

Similiter Geta in Phormione parasiti auxilio utitur; conf imprimis vs. 569 sqq..

[1]) Leno, qui adversus suum promissum adulescentis amicam vendidit, a servo profligatur in Phormione Terentii, in Poenulo, in Curculione, in Rudente Plautinis.

[2]) In Asinaria.

[3]) Frequentissime pater nummorum tenacior servo defraudandus est, qua in re ejus audacia late splendet. In Milite Glorioso servus eri pristini gratia, militem, novum dominum, ludificatur. In Asinaria Leonidas Libanusque servum peculiarem erae dotatae argento intervertunt.

ad rem, argentum, quo opus est, dare non vult, servi semper auxilium invocatur, servo omnia peragenda sunt. Adulescens nihil aliud facit quam ejus laborum percipit fructus. Nam fingitur esse homo nullius constantiae et firmitudinis, amore pervictus, cupiditatibus impar, vel potius earum turbine raptus. Ita et consilium et voluntas agendi eum deficit. Vel minimas molestias, quas obvias habet, superare nequit [1]).

Res fert ut tales adulescentium personae in fabulis non ita magnum locum obtineant; actionis non magnam partem in se recipere possunt. Ita in scena tanquam post servum agentem recedunt, et condicio servi et domini comoediarum admodum veritati contraria est, ut in fabula servus tanto pluris sit, quanto in vera vita dominus. Tales sunt Calidorus in nostra fabula, Stratippocles in Epidico, Mnesilochus in Bacchidibus: his servorum subsidium tam necessarium est, ut sine iis recte stare nequeant.

Sed in aliis fabulis adulescentes paullo firmiores sunt [2]): servus ibi partes secundarias agit. In iis saepe duo adulescentes introducuntur, diversis ingeniis et moribus, quibus oppositis simul spectatores cujusque naturam melius intelligunt, simulque actio comica implicatur.

Frid. Leo in libro supra laudato de amicitia in Nova Comoedia disputavit (pag. 114 sqq.); monuit eam inter subsidia ejus propria esse; eam e vita cotidiana esse desumptam, ubi institutio rei publicae, discriptio civium secundum aetates ei magnopere faverent; ubique enim aequales esse amicos, igitur rem ad dilectum epheborum pertinere. Sed res profecto adhuc latius patet. Amicitiam colere totius gentis graecae proprium, neque ulla res

1) Fortasse eorum ingenium nobis magis tale esse videtur quam quod poeta eos sic describere voluit. Conf. personae descriptionem Rud. 314 strenua facie, rubicundum, fortem.

2) Tales sunt e. g. Stasimus ex Trinummo, Cyamus ex Truculento, ex aliqua parte etiam Milphio, qui in fine Poenuli, ingratis ab ero ablegatur.

ingenio populari tam penitus insita erat. Iam inde ab Homero amicitiae laudum plenae sunt litterae, nec solum epici et scenici, sed etiam philosophi hoc loco delectantur. Nemo philosophus in ratione rerum reddenda suum amicitiae locum tribuere neglexit: omnes inter maxima bona eam habuerunt.

Sed nulla fortasse litterarum pars tantum in ea posuit, tot variis modis eam adhibuit quam Nova Comoedia. Verum — neque hoc negligendum — nulla pars quoque tantopere vitam cotidianam imitabatur.

Nonnunquam duos amicos inducit alterum luxuriosum et rem familiarem dissipantem, alterum parcum et frugalem. Alter dum animo obsequens dignitatem imminuit, rem profligat, alterum perpetuo monstratorem boni atque castigatorem habet. [1]) Postremo cum paene ad inopiam res rediit, amicus aliquo modo auxilium fert.

Sed persona adulescentis probi, continentis, patrem verentis, matrem caram habentis, suapte natura non admodum comica est. Neque frequenter tales introductae fuisse videntur, siquidem inter cunctas Plauti et Terentii fabulas, quae ad nos pervenerunt tantum uni (Lysiteli in Trinummo) eae partes datae sunt. Parva mutatione poetae eam personam comoediae accommodaverunt, ut adulescentem specie probum et parcum inducerent, patri admodum probatum, cum tamen re vera mores adulescentiae, quos pater tantopere castigare solebat, obtineret.

Etiam alia via patebat. Adulescentem continemtem

1) Inter comoedias, ubi duo amici diversis moribus, diversis vitae institutis introducebantur, fuit Alexidis Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος, ut in fabula cui inscriptum erat Δὶς ἐξαπατῶν Menander ad eam alluserit. Eum locum Plautus Bacch. vs. 911, 912 servavit:

Satin ést si plura ex me audiet hodie mala
Quam audívit unquam Clinia ex Demetrio?

Fallitur Fritzschius ad Naevianam fabulam hunc locum referens. Mutabant in vertendo Romani poetae personarum nomina; Demetrius autem personae nomen fuit in fabula Alexidis; unde sequitur, ut Plantus hunc locum e Menandro ad fabulam celeberrimam Alexidis alludenti sumpserit.

ruri educatum fecerunt, severa disciplina usum; pueritiam ei longe a licentia dissipationibusque urbis exactam; sic probum et frugi factum, sed eundem rusticum, saepe stolidum. Cum adulescente urbano, elegantia et rerum usu ei praestante, postquam congressus est, plerumque eo inferior videtur et aliis ludus habetur.

Ejus mores, sermo, habitus, rerum imperitia, timiditas aptam comoediae materiam efficiebant.

Sed adulescens rusticus, semel urbe intrata ejusque voluptatibus cognitis, nisi propere ad priorem sedem vitaeque rationem redeat, periculum est, ne eadem qua ceteri adulescentes corruptela inficiatur. Et saepe periculo perspecto, fugiendi potestatem non amplius habet, quod jam cibos vinaque alicujus Circes gustavit; itaque ejus grege porcorum recipitur, ruris originem tantum singulari nescioquo modo gruniendi prodens [1]).

Ea persona multis partibus speciei cuidam adulescentis luxuriosi similis est. Dico eum, qui a meretrice vel a servo corruptus etiam in gaudiis voluptatibusqne amissam severam vitae rationem dolet. Sed ad relinquendum errorem vires eum deficiunt [2]).

Ea tamen quasi declinatio est a propria persona luxurios adulescentis. Nam in hoc nihil est quam ingenium adulescentiae, ad voluptatem et gaudia proclivis, pecuniae prodigae, praeteritorum immemoris, futuri securae. Praesentia tantum curat, ea quam maxime grata, dulcia esse

---

[1]) Adulescens rusticus prioris generis Chremes in Eunucho videtur fuisse. Donatus eum rusticum esse testatur. Quanquam pauca ejus rusticitatis vestigia Terentius reliquit; quae fortasse agnoscas in ejus cautela et timiditate in principio, cum Thaidis receptus est convivio, et, cum semel iratus est, ferocitate per congressum cum milite.

Etiam in Hypobolimaeo Menandri adulescens rusticus inducebatur (Kock III pag. 137).

Strabax in Truculento jam corruptus est. Ctesipho Adelphorum jam totus ad solitos adulescentiae urbanae mores commutatus est.

[2]) Talis est Philolaches in Mostellaria, conf. vs. 133 sqq., quadamtenus etiam Pistoclerus in Bacchidibus, conf. Act. I sc. 1.

vult. Et omnia bona et omnia mala, quae exuberantibus corporis viribus, fervente studio fruendi aetate efficiuntur, ejus propria sunt. Ita totus oppositus est seni cauto, consideranti, sed eidem avariori et propriis commodis nimis dedito.

Calidorus nostrae fabulae unus ex adulescentibus iis est, qui in voluptatibus aetatem degentes omnibus aliis curis valedixerint. In rebus dubiis igitur omnia servo concedat necesse est; nam ipse fortiter agere jam dedidicit.

De ingenio ejus amici Charini ex fabula nihil noscimus. Quasi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς adhibetur, qui perfecta re, propter quam poeta eum induxerat, rursus ablegatur.

Hic enim etiam amicitia poetis res perutilis erat ad vitandas quasdam in fabulis scribendis difficultates; nam amici ita frequenter inducebantur, ut magis notarent, ut ita dicam, homines comoediam in qua nulli amici essent quam in qua sine argumenti necessitate accerserentur. Ita saepe ad nihil aliud adhibebantur quam ut poetae negotium argumenti explicandi secundarent, velut ille Sosia in prima Andriae scena, longas explicationes et soliloquia vitandi causa cum Simone colloquens inducitur [1]).

§ 6. Comoedia omnium vitae condicionum, necessitudinum, discrepantiarum imitatrix non potuit, quin naturale discrimen, quod inter s e n e c t u t e m est et adulescentiam, variis modis tractaret. Velut jam Aristophanes in alio genere comoediae dissensum antiquae et recentis disciplinae in scenam introduxit. Nova Comoedia vero discrepantiam discordiamque junioris et senioris aetatis partem propriam sui instrumenti et suppellectilis fecit.

---

[1]) Sic Chaeribulus in Epidico.

In nostra fabula Charinus adhibetur ad comparandas quinque minas et servum, quibus Pseudolo opus est. Calidorus ipse enim jam omnia dissipasse fingitur.

Hic res ferebat, ut senes circumspectos cautos parciores, adulescentibus improvidis intemperantibus prodigis poetae opponerent.

Itaque pater comicus magnis filii sumptibus paene ad desperationem adigitur; filium matrimonio eum aliqua cognata divite aut alio quo modo ad continentiam et frugalem vitam reducere vult [1]).

Atque ex ipso ingenio comoediae facile adducebatur poeta, ut senectuti iniquior esset et patres nimis severos, nimis pecuniae amantes et filiis damnosis infensos faceret. Hinc fit, ut senectus in comoedia paene magis irrideri videatur quam exprimi.

Typus senis parci non minus sollennis erat quam servi callidi [2]). Ubicunque antiqui ipsi de comoedia deque comicis personis agunt, semper patri ad rem attento suum locum dant. Senex contra liberalis et indulgens ex ipsis tantum comoediis quas possidemus cognoscitur; nam antiqui critici et grammatici de eo tacent.

Senex liberalis igitur patri severo, sive ejus sodalis sive vicinus est, nonnumquam apponitur eodem modo atque adulescenti luxurioso amicus frugi. Ei moderatur et ab ira nimia atque severitate eum prohibet; adulescentiae praeteritae eum commonefacit, hanc aetatem sua natura alia sequi debere quam annos provectiores. Sic Callipho in nostra fabula senem se praebet mitioris ingenii et majoris indulgentiae. Et saepe jure temperantiam moderationemque postulant a severis illis, quippe quibus capillis canescentibus, decrescentibus viribus corporis demum severa vitae ratio placere coeperit [3]).

Majore jure severi sunt qui a pueris laboraverunt, aestum frigusque toleraverunt in re augenda, qui peregre profecti

---

1) Ita in multis fabulis Menandri, scl. Andria, Heaut. Tim., Cistell..
2) Vide locum Apul. supra laud., Hor. Ep. II, 1, 173.
3) Ejus modi sunt Simo in Pseudolo; Periphanes in Epidico.

sunt ad negotiandum et propter quaestum pericula maris subierunt [1]).

Senex liberalis, cujus animus non cum corpore consenuit, qui mores adulescentiae adhuc probe tenet et cum senectute laetitiam et comitatem conjungit, in Periplectomeni persona in Milite Glorioso nobis proponitur. Hic spernit mores tristes et injucundos, affabilitatem et officia quaerit. Elegantia et sermonis urbanitate cum juvenibus certat, eos prudentia et consilio superat. Convivam affabilem et gratum, hospitem officiosum, amicum fidelem praestat. Itaque ut brevi dicam, est, qui et Graecis sapienter vivere videretur, et nobis non inepte.

Huic contra opposita est odiosa senis amatorii imago. Nusquam senes magis ridiculi magisque invidiosi et sunt et finguntur quam cum suorum filiorum aemuli existunt, ita, ut prae illis senex parcus, rudis, agrestis etiam gratus videatur; dum manus calleant, menti jam minus callidae ignoscimus. Sed nihil miserius quam qui capillis canis virgines sectantur, juvenum in morum delibuti [2]) unguentis, vestibus fluentibus [3]). Eam personam Terentius nusquam adhibuit, Plautus in Casina et in Mercatore. Verum indoli Plautinae poeseos quoque aptior videtur quam Terentianae. Sicut omnino in personis senum Terentius majorem elegantiam et urbanitatem ostendit, et in multis locis suspicari licet, Plautum figuras, quas e Graecis

---

1) Demea in Adelphis optimum exemplum senis severi praebet. Theopropides in Mostellaria, Charmides in Trinummo juvenes adhuc negotiatum peregre profecti erant.
2) Cas. 226 sq.

Myropólas omnes sollicito: ubi quomque est lepidum unguentum, unguor,
Ut illí placeam: et placeo, ut videor.

3) Conf. Menandrum in *Χαλκείοις*

οὐκ ἂν γένοιτ' ἐρῶντος ἀθλιώτερον
οὐδὲν γέροντος πλὴν — ἕτερος γέρων ἐρῶν.
ὃς γὰρ ἀπολαύειν βούλετ' ὧν ἀπολείπεται
διὰ τὸν χρόνον, πῶς οὗτος οὐκ ἔστ' ἄθλιος;

Hic res ferebat, ut senes circumspectos cautos parciores, adulescentibus improvidis intemperantibus prodigis poetae opponerent.

Itaque pater comicus magnis filii sumptibus paene ad desperationem adigitur; filium matrimonio eum aliqua cognata divite aut alio quo modo ad continentiam et frugalem vitam reducere vult [1]).

Atque ex ipso ingenio comoediae facile adducebatur poeta, ut senectuti iniquior esset et patres nimis severos, nimis pecuniae amantes et filiis damnosis infensos faceret. Hinc fit, ut senectus in comoedia paene magis irrideri videatur quam exprimi.

Typus senis parci non minus sollennis erat quam servi callidi [2]). Ubicunque antiqui ipsi de comoedia deque comicis personis agunt, semper patri ad rem attento suum locum dant. Senex contra liberalis et indulgens ex ipsis tantum comoediis quas possidemus cognoscitur; nam antiqui critici et grammatici de eo tacent.

Senex liberalis igitur patri severo, sive ejus sodalis sive vicinus est, nonnumquam apponitur eodem modo atque adulescenti luxurioso amicus frugi. Ei moderatur et ab ira nimia atque severitate eum prohibet; adulescentiae praeteritae eum commonefacit, hanc aetatem sua natura alia sequi debere quam annos provectiores. Sic Callipho in nostra fabula senem se praebet mitioris ingenii et majoris indulgentiae. Et saepe jure temperantiam moderationemque postulant a severis illis, quippe quibus capillis canescentibus, decrescentibus viribus corporis demum severa vitae ratio placere coeperit [3]).

Majore jure severi sunt qui a pueris laboraverunt, aestum frigusque toleraverunt in re augenda, qui peregre profecti

---

[1]) Ita in multis fabulis Menandri, scl. Andria, Heaut. Tim., Cistell..
[2]) Vide locum Apul. supra laud., Hor. Ep. II, 1, 173.
[3]) Ejus modi sunt Simo in Pseudolo; Periphanes in Epidico.

sunt ad negotiandum et propter quaestum pericula maris subierunt [1]).

Senex liberalis, cujus animus non cum corpore consenuit, qui mores adulescentiae adhuc probe tenet et cum senectute laetitiam et comitatem conjungit, in Periplectomeni persona in Milite Glorioso nobis proponitur. Hic spernit mores tristes et injucundos, affabilitatem et officia quaerit. Elegantia et sermonis urbanitate cum juvenibus certat, eos prudentia et consilio superat. Convivam affabilem et gratum, hospitem officiosum, amicum fidelem praestat. Itaque ut brevi dicam, est, qui et Graecis sapienter vivere videretur, et nobis non inepte.

Huic contra opposita est odiosa senis amatorii imago. Nusquam senes magis ridiculi magisque invidiosi et sunt et finguntur quam cum suorum filiorum aemuli existunt, ita, ut prae illis senex parcus, rudis, agrestis etiam gratus videatur; dum manus calleant, menti jam minus callidae ignoscimus. Sed nihil miserius quam qui capillis canis virgines sectantur, juvenum in morum delibuti [2]) unguentis, vestibus fluentibus [3]). Eam personam Terentius nusquam adhibuit, Plautus in Casina et in Mercatore. Verum indoli Plautinae poeseos quoque aptior videtur quam Terentianae. Sicut omnino in personis senum Terentius majorem elegantiam et urbanitatem ostendit, et in multis locis suspicari licet, Plautum figuras, quas e Graecis

---

[1]) Demea in Adelphis optimum exemplum senis severi praebet. Theopropides in Mostellaria, Charmides in Trinummo juvenes adhuc negotiatum peregre profecti erant.
[2]) Cas. 226 sq.
Myropólas omnes sollicito: ubi quomque est
lepidum unguentum, unguor,
Ut illí placeam: et placeo, ut videor.
[3]) Conf. Menandrum in *Χαλκείοις*
οὐκ ἂν γένοιτ' ἐρῶντος ἀθλιώτερον
οὐδὲν γέροντος πλὴν — ἕτερος γέρων ἐρῶν.
ὃς γὰρ ἀπολαύειν βούλετ' ὧν ἀπολείπεται
διὰ τὸν χρόνον, πῶς οὗτος οὐκ ἔστ' ἄθλιος;

exemplaribus desumpserit, rudiores et scurriliores fecisse [1]).

§ 7. Ut servos callidos spectatorum gratia frui solitos esse apparet, et poetas omnia fecisse, ut eos quam lepidissimos versutissimosque inducerent, eodem modo fabulae ostendunt, lenones omnibus invidiae et odio fuisse, in eas personas poetas omnia mala contulisse. Nullum ingenium moribus tam depravatum excogitari potest, quin lenones comoediae facile exsuperent malitia. In Curculione parasitus fabulae cognominis muscis aliisque molestis bestiolis eos confert:

Vs. 499 sqq.

Itém genus est lenonium inter homines meo quidem animo
Ut múscae, culices, cimices, pedesque pulicesque:
Odio ét malo et molestiae, bono usui estis nulli:
Nec vóbiscum quisquam in foro frugi consistere audet sqq.

---

1) Senes Terentii non sunt barones comoediarum Plautinarum. Eos a servis falli, casui magis quam servorum calliditati attribuas. Peccant autem nimia subtilitate, qua divinare velint quae sciri nequeant, non ignavia aut mente hebetiore. Eo verba Davi, Andr. vs. 210 sqq., necessario ducunt:

Si illúm relinquo, ejus vitae timeo: sin opitulor, hujus minas,
Quoi *vérba dare difficile est:* primum jam de amore hoc comperit,
Me inféns us servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.

Bene his conveniunt verba Chrysali, Bacch vs. 643 sqq.

Cállidum seném callidis dolis
Cómpuli et pérpuli, mi ómnia ut créderet.

Sed quantumvis quaerendo nulla Nicobuli calliditas in Bacchidibus inveniri potest. Plautus paullum addendo hic, demendo illic, totum personae colorem mutavit. Neque Hor. Ep. II, I, 173: quantus sit Dosennus edacibus in parasitis aliud significare potest quam parasitum Plautinum Dosenno, ie. personae mimi popularis, consimilem esse. Iis verbis igitur disertum testimonium habemus Plautum exemplaria Graeca paullum ad ludos populares Romanorum accommodasse.

Ne multa: in lenones Plautinos omnia maledicta cadunt: sunt impii, perfidi, perjuri [1]), et, quo etiam pejores fiant, avari callidi maledicentes; ejusmodi denique, ut merito et homines et dii eos oderint. Leno autem occurrit in quinque fabuiis Plautinis et in duabus Terentianis, unde et de figura comica et de lenonum vitae condicione, sane accuratam effigiem adumbrare licet. Accedit unus e mimiambis Herondae antiqua confirmans, pauca nova addens, et, quod gravissimum est, ostendens, totam lenonis personam e graeca comoedia sine mutationibus ullius momenti a Plauto esse receptam [2]).

Cum omnes fabulae in perfidia lenonis conspirent, in alia alio modo id ostenditur. Virginem alius contra atque ejus amatori promisit militi vendidit, deinde rursus cum milite fidem rumpere paratus, si adulescens prior pactam pecuniam solverit: alius adulescentem poscit altero die pro virgine viginti minas, altero duplum, dum rem trahit omnibus modis eum defraudans et expilans. Apud eos fides honestumque nihil valent; si nummi tibi insunt in crumina, vir eris.

Erga suas meretrices et erga alios servos duri sunt [3]),

---

1) Hoc epitheton lenonum esse legitimum exemplis demonstrabo, ut appareat, Aarltium in loco Apuleji laud. § 4, *Perjurum* in *perfidum* mutantem, frustra esse. Rud. 126 Malum perjurum; ib. 651 Fraudis... perjuri plenissimus; Pseud 154 perjuravisti, sceleste; ib. 363 perjure; ib. 975 pejurum atque impium (ex quibus verbis leno se quaeri efficit); ib. 1057 ego (loquitur leno) pérjurare me mavellem milliens; ib. 1083 malum et scelestum et pejurum; Pers. 562 Quia perjurus es; Poen. 825 Neque perjurior neque pejor; Ter. Ad. 189 Perjurus pestis.

2) De persona lenonis Poll. IV 145: *τὰ χείλη ὑποσέσηρε καὶ συνάγει τὰς ὀφρῦς, καὶ ἀναφαλαντίας ἐστὶν ἢ φάλακρος.* Conf. Rud. 125 Ecquém tu hic hominem crispum, incanum videris; ib. 316 sqq. (vidistis) Ecquem Recálvom ad Silanum senem, statutum: ventriosum Tortís superciliis, contracta fronte.

3) Pseud. Act. I sc. 2; Pers. 731 Transcídi loris omnis adveniens domi; Poen. 827 sqq..

et cultu quam potest tenuissimo et sordidissimo quam maximos labores efficere eos postulant. Servi miseri saepe plagas pransi etiam vespernam lorariam cenant. Itaque servitus lenonis pro magno malo habetur, scelestae nomen ei inditum est [1]). Ipsi servi dominis lenonibus maxime inimici sunt et quam maxime nocere cupiunt [2]).

Qui servos suos male habet, fidem et jusjurandum spernit, utraque re, ut antiqui existimabant, invidiam atque iram deorum meret. Velut leno in Persa (vs. 582 sqq.):

n á m g e n e r i l e n ó n i o
N ú n q u a m u l l u s d e u s t a m b e n i g n u s f u i t,
q u i f u e r i t p r o p i t i u s.

Itaque in fabulis divinitus somniis territi inducuntur aut litare nequeunt. Quibus rebus cum primus rerum eventus saepe ita minime congruere videatur, ut Fortuna iis aliquantisper arrideat et commoda afferat, fit ut exsultantes gaudio omnem religionem contemnant irrideantque [3]). At eo ipso tempore iis interitus paratur.

Nam insidiae, quas servus adulescentis lenoni fecit, prospere succedunt, et mox quamvis veterarius in plagas impeditus ille erit.

Aliquot exempla nobis tradita sunt dolorum, quibus servus utebatur in comoedia ad perdendum lenonem; ex iis unum, certa de causa memorabile, apponam. Servus callidus aliquem conservum, lenoni ignotum, cum magna summa argenti ad eum mittit testesque subornat, qui spectent rem, cum servus a lenone recipiatur. Leno, nihil

---

[1]) Curc. 39 sq.
L e n ó n i s h a e s u n t a e d i s. Pa. M a l e i s t i s e v e n a t
Ph. Q u i ? P a. Q ú i a s c e l e s t a m s e r v i t u t e m s e r v i a n t.

2 E. g. Syncerastus in Poenulo.

[3]) Conf. Poen. 449—466; ib 74?—750; Pseud. 265—269.
Vs. 269 Pseud. damnare noluerim vel propterea, quod quasi statuit lenonem deorum contemptorem esse; nam ex joco erga deos parum verecundo, id satis efficere minime licet. Vs. 269 igitur praecedentia quasi consignat; haec autem ingenii lenonis pars non potuit praetermitti et apte a Pseudolo praedicatur.

suspicatus, servum peregrino vestitu ornatum, ad se intromittit. Deinde in jus vocatur, quod servum cum argento profugum domo sua receperit [1]).

Hic mirari licet, adulescentem illum nobilem, cujus servus dolum invenerit, tum illos testes, liberos cives, non religione quadam esse impeditos, quominus tam turpi ratione lenonem pessum darent, — vel potius poetam fuisse securum, ne ea re spectatores offenderentur, quod talem dolum adversus personam invidiosam adhibuisset. Videntur lenones illis antiquae Aegypti taricheutis haud impares fuisse, quos injuria contumeliisque afficere par habebant etiam ii, qui eorum opera usi erant.

Eorum vita erat contra omnes sicuti omnes contra eos erant [2]).

Talem quaestum homines tantum inferioris condicionis exercuisse, res ipsa fert, neque honestiores magnum lucrum allicere potuisse. Videntur plerumque peregrini (μέτοικοι) fuisse [3]); cum praesertim saepe huc illuc proficiscerentur negotiandi causa, ad mulieres emendas vendendas, ubicunque cum Veneris cultu magni mulierum mercatus conjuncti erant [4]).

---

[1]) Is alter est ex dolis, qui in Poenulo a Milphione ad perdendum lenonem Lycum excogitantur.

[2]) Ejusmodi est initium orationis, quam leno habet Her. II, vs. 139.
ἄνδρες δικασταί, τῆς γενῆς μὲν οὐκ ἐστέ
ἡμέων κριταὶ δἠκουθεν οὐδὲ τῆς δόξης.
Pseud. 355 sq. Ballio verbis *ego scelestus* opponit, ‚*tú qui piu's, istoc es genere gnatus*'.

[3]) Her. l.l. 33 sq. κἠμὲ τὸν ξεῖνον
οὐδεὶς πολίτης ἠλόησεν·
Eadem significatio verbis Pseudoli vs. 201 sq. inesse videtur. Brixius vocem *colere* ut languidam culpavit (Fleck. JB. CXV pag. 331), etiamque *pollere* conjecit, quod de lenonibus absurdum. Quod raro accidit viro tam praestanti, Brixius vim verborum Plautinorum non satis perspectam habens, egregium παραδιόρθωμα fecit.

[4]) Ejusmodi est, quod Sannio in Adelph. cum mulieribus aliisque mercibus Cyprum mercatum iturum se esse dicit. Ibi cum notissimum sit cultum Veneris floruisse et magna templa ei sacra hominum frequentia

Et homines despicati igitur et peregrini nullum fere in legibus praesidium videntur habuisse. Superbiam adulescentium paterentur necesse erat. Injuria tamen Lorenzius inde efficere voluit eos extra leges positos fuisse, nullas causas suscipere potuisse [1]). Et loci haud pauci comoediae adversantur et maxime Herond. II, ubi leno quendam injuriarum apud judices arguit.

Sed si spectes, non quid jus ferret, sed quid fieri soleret, Lorenzius verum tangit. Lenones adversus adulescentes, primariis locis oriundos apud judices antiquos non multum valuisse, rerum quaedam necessitas postulat.

Itaque non tantum in fabulis sed etiam in vita lenones

---

celebrata esse, sequitur ut etiam magnus ἱεροδούλων numerus quotannis eo comportari solitus sit. Conf. Ad. vs. 229 sqq.

Emptae mulieres
Complúres et item hinc alia quae porto Cyprum,
Nisi eo ád mercatum venio, damnum maxumum est.

Eundem in modum fortasse profectio Labracis in Siciliam intelligenda: Rud vs. 51 sqq.

Is íllius laudare infit formam virginis
Et áliarum itidem, quae ejus erant mulierculae,
Infít lenoni suadere, ut secum simul
Eat ín Siciliam: ibi esse homines voluptarios,
Dicit potesse | ibi eum fieri divitem,
Ibi ésse quaestum maximum meretricibus.

In Sicilia enim quoque celebratum erat Veneris Erycinae fanum.

Sed si lenones etiam mercatores mulierum sunt, Leo fallitur ad Ps. 170: ‘Quam líbertam fore mihi credam et quam venalem hodie experiar’ adnotans: „Spurius? non vendere eas poenae causa sed prostituere vult.” His verbis enim leno non praemia aut poenas meretricibus proponit, nam de nulla re minus cogitat quam de liberandis mulieribus, sed dicit, se quid quaeque valeat experturum esse. Bonae meretrices, quae apud amatores satis valent, et nunc dona lenoni et mox sibi libertatem impetraturae sunt; malae contra, quae parum valent apud amicos, utpote malae merces, mercatori quam maturrime vendendae sunt.

1) In ed. pag. 247 (ad. S. 17 Anm. 15).

Frequenter leno in jus vocatur in comoediis, unde concludendum, eum etiam in jus vocare potuisse. Diserto Herondae testimonio igitur ad refellendum Lorenzium non opus erat. Conf. Ter. Ad. 163 crede, hoc ego meum jus persequar (sunt verba lenonis).

vel gravissimas injurias mussitasse veri simillimum est [1]).

Ballio unus ex hoc hominum genere est. Poeta eum ita descripsit, ut in ejus imagine delineanda omnem hominum malitiam exhausisse videatur. Sic factum est, ut postea nomen Ballio apud Romanos in maledictum abierit.

§ 8. De coquis in Athenaei Dipnosophistis, haud pauca per totum opus fragmenta poetarum comicorum traduntur maximeque duobus locis (VII 290a sqq; IX 376e sqq.); praeterea locus est admodum notabilis, brevem, ut ita dicam, historiam personae coqui in comoedia, eamque fragmentis comicorum illustratam, complexus. Quae quidem, quamquam non in omnem partem admodum luculenta aut doctrinae plena est, hoc unum tamen satis ostendit: certam fuisse personam coqui in comoedia graeca jam antiquam, eamque ad nomen *Μαίσωνος* referri [2]).

Coqui origine fortasse peregrina solebant esse, et superbia quadam insignes, qualis in opificibus artis suae intellegentia fretis haud raro conspicitur, cum suam artem maximi se facere praedicarent; morum autem insolentia, et alibi et praesertim Athenis risum movere debebant. Itaque aptam comoediae praebebant materiam. Milites gloriosi, medici vani, coqui jactantes, omnes quasi eadem familia oriundi sunt. Et sicut omnibus hominibus immoderata, singularia, peregrina saepe ludicra videntur, sic maxime Graecis, quibus rectis finibus se continere vera sapienta habebatur.

---

1) Ib. 206 sq.

Vérum cogito id quod res est, quando eum quaestum acceperis.
Accipiunda et mussitanda injuria adulescentium est.

2) Ath. XIV 659*a* . . . *ἀγνοῶν, ὅτι Μαίσων γέγονεν κωμῳδίας ὑποκρίτης Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον Μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ περὶ προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ μαγείρου.*

Certum personarum genus igitur nomen *Μαίσωνος* habebat.

Quam antiquis autem a temporibus id genus comoediae, quod in imitatione figurae alicujus peregrinae et insolitae positum est, derivandum sit, et vox ipsa *Δεικελίσται*, facta a vocabulo *Δείκ$^{ε}_{η}$λον*, i.e. simulacrum, quod certo generi histrionum nomen erat, et locus Athenaei ostendit, laudantis Sosibium quendam grammaticum, qui, apud Spartanos moris fuisse aliquem fructus furantem aut medicum peregrinum ludicre imitari, tradidisse memoratur [1]).

Sed quamvis vetusta, haec ludicra imitatio in Nova Comoedia admodum florebat. Inducuntur ibi medici, coqui, milites, parasiti, verbis et factis a veritate vitae paullum in ludicrum declinati, ut totum suum genus atque ordinem in derisionem trahant.

Eam rem, si e comoediis Plautinis certum judicium ducere licet, poetae Graeci ita institutam habebant, ut magna arte atque cura scenas, quae tales homines ostenderent, fabulae argumento implicarent, iisque certam argumenti partem imponerent. Non enim extra argumentum adhibebant ut in simili re fecit nobilis ille poeta Anglus in fabula, cui titulus est 'Merchant of Venice'. Nam ibi morio tantum adhibetur, ut intermisso per breve tempus argumento spectatores quasi requiescere a materia tam seria possint.

Personam coqui frequenter in comoediis esse adhibitam, docet haud exiguus graecorum fragmentorum numerus, quibus etiam sex locos Plautinos addere licet: magna exemplorum copia pro parvis totius comoediae graecae reliquiis.

---

[1]) Ib. 621d *παρὰ δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιός, ὥς φησι Σωσίβιος, οὐκ ἄγαν σπουδαῖος, ἅτε δὴ κἀν τούτοις τὸ λιτὸν τῆς Σπάρτης μεταδιωκούσης. ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν ἢ ξενικὸν ἰατρὸν — ἐκαλοῦντο δ' οἱ μετιόντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν παρὰ τοῖς Λάκωσι δεικηλίσται.* Hes. s. v. *δείκηλα εἴκονες, ὁμοιώματα.* Conf. Lorenz, Leben und Schriften des Koers Epicharmos, pag. 18 sqq.

In Plautinis comoediis praeter Pseudolum coqui occurrunt in Aulularia, Curculione, Casina, Menaechmis, Mercatore; in Curculione tamen, Casina, Menachmis perexiguum locum obtinent, ut nihil inde accuratius appareat de eorum usu in graecis comoediis. In Aulularia vero duo coqui inducuntur cum fabulae proposito arte conjuncti. In Actus III initio jam statim servus et coqui, dum inter se sermones serunt, de avaritia Euclionis, quae totius argumenti quasi caput est, jocantur. Deinde alter, qui apud Euclionem cenam coquit, a sene suspicioso et, ne aurum sibi surripiatur, misere pavitans, male mulcatus aedibus exturbatur. Conducti autem sunt hi coqui, ut nuptiis Megadori et filiae Euclionis, quae etiam pars argumenti, ut ita dicam, interior est, cenam coquant. Nulli igitur aut eorum introductio incongrua videri potest, aut ea, quae dicunt et faciunt, extra argumentum posita.

Item in Mercatore res se habet. Senex Lysimachus amico Demiphoni uxore absente copiam aedium suarum permisit, ubi convivium haberet et amore puellae concupitae frueretur. Puella jam in aedibus est, coquus ad coquendam cenam exspectatur: ecce autem necopinato uxor rure revertitur et puellam in aedibus offendit. Suspicio statim ei oritur, Lysimachum se fallere. Infensa foras currit, Lysimachum adoritur. Ille in maximis difficultatibus haerere, veritus uxorem praesertim dotatam: amicum tamen prodere nolle. Mendacio se expedire conatur: de virgine litem esse simulat, se judicem captum. Ei perincommode coquus advenit, pro amico ab ipso conductus. Mendacium manibus ita extorquetur. Coquus malevolus etiam ea, quae de uxore male dicta seni exciderant repetit. — Hic igitur coquus partem affert argumento necessariam: nam ipsa mulieris ira et desperatione Lysimachi opus est, ut hujus filius suo amico, Demiphonis filio, virginem reddere possit.

Eo magis mirum est in nostra fabula coquum paene extra

argumentum positum esse. Actu tertio enim, qui fere totus sermoni coqui et Ballionis datur, facile carere possumus. Eo sublato fabula, molesta sarcina liberata, melius procedet.

Tamen is locus a fabula non alienus est, siquidem leno die suo natali convivium se daturum esse in principio jam dixit, etiam ibi coquum memoravit. Fere eadem ratione cum scenis sequentibus cohaeret, cum iis intelligendis hic actus non necessarius sit, sed tamen haud paucae sententiae, voces, quae in iis insunt, ad eum respiciant. Ut desiderabile additamentum igitur est, ita penitus cum praecedentibus consequentibusque connexum, ut neque a Plauto neque ab alio additum esse verisimile sit. Itaque sic fortasse aptissime, qua ratione actus III ad fabulam pertineat, verbis complectamur, ut eum videri dicamus argumenti partem justam olim fuisse, sed iis, quorum causa in fabula adhibitus esset sublatis ipsum tamen remansisse.

Per se hic actus tertius Pseudoli valde memorabilis est: nam nullus e locis Plautinis ubi coqui inducuntur, tam luculenter originem Graecam ostendit. Huic coquo omnia insunt quae Graecis: jactantia artisque ostentatio, audacia, impudentia. Ejus narrationes de cibis miram in dulcedinem praeparatis ea, quae milites de ferocissimis suis pugnis obtundunt, aequiperant. Totus locus si ab homine Graecae linguae satis perito raece conversus esset, vix dubitaremus, quin inter fragmenta Comicorum Graecorum reciperemus.

Furandi consuetudixem habet Graecorum coquorum instar. Graecis Latina apponam:

εὗρον τὸ κλέπτειν πρῶτος, ὥστε μηδένα
μισεῖν με διὰ τοῦτ', ἀλλὰ πάντας λαμβάνειν
ὑπ' ἐμοῦ δ'ὁρῶν συ τοῦτο προκατειλημμένον,
ἴδιον ἐφεύρηκάς τι, καὶ τοῦτ' ἐστὶ σόν [1]).

A n t u í n v e n i r e p o s t u l a s q u e m q u a m c o q u o m,
N i s i m í l u i n i s a u t a q u i l i n i s u n g u l i s [2])?

---

[1]) Ath. 379f.

[2]) Pseud. 851 sqq.. Etiam in Casina coquus furtificus inducitur; conf. vs. 720 sqq..

In disceptanda quaestione, quatenus Plautus exemplaria Graeca expresserit, haec coqui persona igitur alicujus momenti esse potest.

§ 9. Fabula Pseudolus versuum numero paucis tantum comoediis Plautinis superatur: Milite Glorioso, Rudente, Poenulo. Forsitan olim, adhuc integrae, etiam Amphitruo et Bacchides longiores fuerint. Neque Pseudolus integra ad nos pervenit, prologo toto perdito, nisi quod duo extremi versus servati sunt; quamquam Plauti fortasse non fuit; nam versus servati ipsius poetae non videntur. Fabulae argumentum enim quum colloquio Calidori et Pseudoli dilucide exponatur, nullo ad exponendum prologo opus fuit. Ideo recte Leo conclusisse videtur, prologum aut a posterioribus, aut si a Plauto, prologi Asinariae similiter, scriptum fuisse.

Hanc fabulam inter celeberrimas Plauti fuisse, forsitan inde statuas, quod adhuc Ciceronis temporibus saepius acta est; nam et Roscius actitando Ballione gloriam laudemque invenit [1]), et aetate Ciceroniana nomen Ballionis paene in maledictum abierat [2]). Considerantes, ceterum de fabulis Plauti Ciceronis aetate actis nulla exstare testimonia, Ciceronem nullum omnino ex ejus comoediis versum laudare, his testimoniis per se non ita gravibus aliquod pondus tribuamus necesse est.

§ 10. Duo fabulae argumenta servata sunt, quorum alterum, stichometricum, tantum in Palatinis exhibetur,

---

[1]) *Cic. pro Roscio com.* 7, 20: *Cujus (sc. accusatoris, C. Fannii Chaereae) personam praeclare Roscius in scena tractare* consuevit, *neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem, illum improbissimum et perjurissimum lenonem quom agit, agit Chaeream: persona illa lutulenta, impura, invisa in hujus moribus, natura vitaque est expressa.*

[2]) *Cic. Phil. II*, 6, 15 '*Dat (sc. Antonius nataliciam in hortis. Cui? Neminem nominabo: putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni.*' Ballio hic eodem loco cum personis notissimis Terentianarum comoediarum affertur.

Pro Rosc. com. 17, 50: *Vix medius fidius tu, Fanni, a Ballione aut aliquo ejus simili hoc et postulare auderes et impetrare posses.*

alterum, non-stichom., in A alia manu atque quae cetera scripsit, et quidem recentiore, saeculo V aut VI additum est [1]). De argumentorum autem oratione et metro fuse egit Opitz, Leipz. Stud., VI pag 195 sqq. Atque horum vel minutiis tantopere occupatus fuit, ut rem, si quid video, non ita levem, aut non animadverterit, aut saltem non memoraverit: in argumento II hujus fabulae personae Simonis nullam fieri mentionem argumentumque modo ad eam fabulae partem, quae abducta Phoenicio absolvitur (IV, 4) pertinere videri [2]).

Codex A maximam fabulae partem exhibet, deficientia Palatini supplent. Ita fit, ut Pseudolus minus quam multae aliae Plautinae fabulae temporum labe depravata sit. Tamen multa emendatione egebant. Cui per longam annorum seriem inde a renatis litteris usque ad nostra tempora magnus virorum doctorum numerus operam navavit. Quorum laborem percensenti et quo quisque modo, etsi multis frustra tentatis, fere semper aliquantum juverit textum, observanti, cuivis homini litteris dedito animus magnopere confirmatur; sine intermissione enim quamvis paullatim scientiam humanam proficere neque ullos conatus eorum, qui cum cura studioque laborent, omnino sine fructu futuros. Sic studium ipsi laborandi crescit et simul ad gratiam verecundiamque conformatur erga viros doctos, qui ingeniose et feliciter multa tractaverunt litterisque profuerunt. Ex eorum autem numero, qui provinciam litterarum Latinarum tuendarum eo tempore, quo post longum torporem earum studium reviruit non minore ingenio quam doctrina obtinuerunt, imprimis Camerarius huic fabulae auxilio fuit, deinde Acidalius et Pylades. Sed omnino nullus fere ex iis non aliquid saltem in ea

---

1) Studemundus in Comm. Mommsen. pag. 803 de argumentis nonstichometricis egit.

2) Id maxime insigne fit, si exitum hujus argumenti cum stichometrici multo brevioris comparaveris, ubi tamen Simo memoratur ad extremumque Actum respicitur.

emendatius reddidit. Neque neglecta est a criticorum posterioris aetatis principe Richardo Bentleyo, cui septem optimas emendationes debet.

Hoc saeculo praeclare de ea meritus est ille propitiis Musis et Latinis et Graecis natus Fridericus Bothius. Dignus fuit, qui haberet successorem Fridericum Ritschelium. Cui quid Plautinae litterae, et in iis haec fabula, debeant, cum non opus est me praedicare, tum forte invidiosum foret, tironem de viro tam praestanti judicium ferre. Sed et ceteri viri docti nostrae aetatis multi in emendandam hanc fabulam aliquid contulerunt.

Post omnium laborem haud pauca tamen in ea sunt, quae adhuc medelam requirant.

Praeter magnas totius corporis fabularum Plautinarum editiones Ritschelii-Schöllii (Götzii, Löwii), Ussingii, Götzii-Schöllii (ed. min. Teubn.) [1]), Leonis (nondum absolutam), Pseudolus separatim edita est commentarioque perpetuo illustrata a conterraneo nostro Romeynio (Daventriae 1836), de cujus opera Lorenzius iniquum judicium tulit; mihi vero ejus inspiciendae copia non fuit. Introductione et Theodiscis notis instructam edidit Aug. O. Fr. Lorenz apud Weidmannos (1876). Introductio multis partibus, notae fere omnibus laude dignae sunt. In re critica vero vir doctissimus non satis circumspecte rem egit.

Ante hos paucos annos E. J. Morris Pseudolum scholarum in usum Anglis notis exornatam in lucem emisit. Ejus alteram editionem inspexi, nihil tamen novi affert: unum hoc vidi, Morrisio quoque, virorum doctorum rationem explicandi, quo modo in Pseudolo tantus inconcinnitatum numerus sit, non probatam esse [2]).

---

1) Quamquam et alias adhibui, hac editione imprimis sum usus, hujus numeros, qui iidem sunt Ritschelianae, in locis laudandis sum secutus.

2) Introduction, pag. XXXI: „Certain other contradictions in the Pseud., explainable, I believe, neither by the general carelessness of Pl., nor by the h.pothesis of double recension, would require too much space for discussion here."

CAPUT II.

DE CONTAMINATIONE PSEUDOLI.

Pars Prima.

De iis quae in compositione Pseudoli incongrua sint et inter se pugnantia.

§ 1. Res est notissima et (quod in perpaucis Plautinis affirmare licet) omnibus probata, in compositione fabularum Plautum parum diligentem fuisse. Cujus rei causae et in ingenio atque arte Plauti ipsius et in spectatorum judicio atque eruditione positae esse videntur.

Nam aliud est genus poetarum, qui hoc maxime spectant, ut totum omnibus numeris sit absolutum, partes bene inter se congruant, opus denique concinnum rotundumque efficiatur; aliud eorum, qui in singulis partibus maxime elaborant, locos, qui ipsis imprimis placent, in mirum nitorem et pulchritudinem ornant et expoliunt, sed iidem totum parum curant, ut sit bene compositum et in omnes partes concinne constructum. Itaque horum opus cum monili apte comparaveris, in quo gemmae pretiosae sine magna cura aut arte inter se colligatae sint, illorum autem instar est vasis Corinthii pura forma maxime delec-

tantis, sed hic illic etiam egregie caelati. His Plautus, Terentius magis illis annumerandus est.

Verum, sicut dixi, etiam in spectatoribus aliquid ponendum. Fabulae alicujus compositio utrum sit recta sibique constans necne, dijudicare est hominis acuti et eruditi, qui prius visa memoria retinens cum posterioribus tacite comparet et menti quasi imaginem totius propositam teneat.

Solent autem homines incultiores et mentis labore inexercitati praesentibus vehementius fortasse quam eruditi commoveri, mox tamen novis affectibus occupati ante acta oblivisci. Et quam diversi inter se fuerint ii, qui Plautum omnium potissimum haberent et qui Terentii concinnitate et elegantia magis delectarentur, ex rarissimis de talibus rebus, quae quidem ad nos pervenerunt, testimoniis, tamen haud ambigue efficere possumus.

§ 2. Itaque fabulas Plautinas ad severi judicii regulam si exigas, fere omnes compositione mancas inveniri, quis est, qui admiretur? Sed non in omnibus similiter. Compositio nonnullarum fabularum ejusmodi est, ut ad eam explicandam ad aliud quam socordiam ipsius Plauti recurrendum sit. In iis igitur ea ratio ineunda est, ut, quae inconcinna videantur, diligenter excussis ordineque expositis videndum sit, quae ex iis conclusio verisimilis se offerat.

Cum autem Pseudolum pellegentem multa ejus modi me offenderent, suscepi talem offensionum, ut ita dicam, tabulam componere, ut deinde viderem, num probabilis earum explicatio efficeretur. Qua de re infra jam videbimus, hic cum ipsis offensionibus nobis res erit.

§ 3. *a*) vs. 284.

De versu 284 Lorenzius in dissertatione, inserta Mus. Rhen. (XXXV, 168), disputavit eumque in suspicionem vocavit. Inter alia similis pretii argumenta et hoc attulit: „Die Erklärung der Furcht des Calidorus ist für den

längst in alles eingeweihten Zuschauer ganz überflüssig."

Hoc quidem verum, sed si omnia ad intellectum supervacanea ex Plauto tollerentur, mox multo minorem haberemus.

Sed est aliud, quod magis miremur. Nam adulescens servusque statim a lenone brevem moram petunt, qua argentum, quod Calidorus pro Phoenicio promiserat adhuc numerari possit. Attamen sciunt lenonem eam jam vendidisse. Nam epistola Phoenicii eos rei totius certiores fecit.

Consentaneum igitur erat eos lenonem interrogare, cur virginem contra promissum vendidisset neque antea Calidorum de ea re certiorem fecisset, si forte argentum alicunde comparare posset. Hic fortasse quispiam: „dolo hominem invadunt, simulant se rem nescire." At quinam fructus ex ista simulatione percipi possit? Atque prorsus neutiquam sic gaudium Calidori, quod leno dicit se Phoenicium non jam venalem habere, explicari potest (vs. 325 sqq.). Et minus etiam ejus admiratio et paene stupor audientis amicam esse venundatam:

vs. 341 sqq.

Ca. Nón habes venalem amicam tu
meam Phoenicium?
Ba. Nón edepol habeo profecto: nam
jam pridem vendidi.
Ca. Quó modo? Ba. Sine ornamentis,
intestinis omnibus.
Ca. Meám tu amicam vendidisti? Ba.
Valde, viginti minis.
Ca. Víginti minis? Ba. Utrum vis,
vel quater quinis minis.
Míliti Macedonio. Et jam quindecim
| habeo minas.
Ca. Quíd ego ex te audio! Ba. Amicam
tuam esse factam argenteam.
Ca. Qúr id ausu's facere? Ba. Lubuit:
mea fuit . . . . .

Aut quo modo iram, qua deinde Calidorus capitur, explicabis?

Concedatur necesse est, hac mente totam scenam scriptam esse videri, ut Calidorus ex Ballione hic primum cognoscat, Phoenicium militi Macedonio veniisse [1]).

Quodsi hac re, tam insigni ut paullo attentius legentes fugisse nequeat, permoti totam scenam cum praecedentis fine denuo pellegerimus, plura se offerent et huic loco convenientia et primae scenae incongrua. Velut vs. 231

Quid míhi's auctor huic ut mittam, ne
amicam hic meam prostituat?

jure Calidorum miramur: paullo ante enim ita se desperantem ostenderat, ut nisi servus argentum, quo ante militis adventum amica emeretur, invenisset, prius quam nox orta esset, sibi se mortem consciscere velle declararet (vs. 90). Num id tam cito ei e memoria elapsum esse potest? Scit, vanas esse minas lenonis de Phoenicii prostitutione; eum tantum quadam inclinatione malae naturae suae huic quoque minari, quam miles cras abducturus sit.

b.) Velutsi haec omnia non satis sint ad demonstrandum, primam et tertiam scenam rebus inter se discrepare, ipse dies, quo Phoenicium dicitur abductum iri a milite, hoc atque illo loco alius memoratur.

Sc. 1 (vs. 58 sqq.)

ei réi dies
Haec práestitutast: proxuma Dionysia.

---

[1]) Ipse Lorenzius, qui ceterum praedatoris hostilium agrorum instar in Plauto grassatur, cum damnando, delendo, excidendo per totam fabulam omnes offensiones tollere conetur, hic ad illud remedium non confugit. Quod unum restabat, inconcinnitatem ipsi poetae deberi confitetur. In ed. pag. 19, not 17. „Auffallend bleibt es auch, dass Calidorus, nachdem er 330 vom Verkaufe des Phoenicium gehört hat, 331 – 338 so erstaunt und erbittert thut, als ob es ihm gänzlich unbekaunt gewesen wäre, während er doch aus ihrem Briefe alles erfahren hat."

Ca. *Cras* éa quidem sunt: prope adest exitium mihi.

item vs. 82

Ca. Ille ábducturus est mulierem *cras*. Ps. Eheu?

His consentaneus est vs. 90

Certúmst mihi *ante tenebras* tenebras persequi.

Contra in scena 3 vs. 373 sq.

Nísi mi hodie attulerit miles quinque quas debet minas,
Sícut *haec* est praestituta summa ei argento dies sqq.

quod confirmatur vss. 623 sq.

Quía videre inde esse: nam olim quom abiit argento *haec* dies
Praéstitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit.

c.) Act. I, sc. 4 vs. 406—409.

Atque égo me jam pridem huic daturum dixeram,
Et vólui inicere tragulam in nostrum senem:
Verum ís nescioquo pacto praesensit prius —
Sed cómprimunda vox mihi atque oratiost:

Hi versus multis viris doctis aut omnes aut partim suspecti fuerunt. Quod delent vs. 409 ut infra (vs. 788) repetitum, id ad quaestionem tam difficilem quam incertam de versibus iteratis apud Plautum pertinet, de qua hic non disputare debeo.

Ceterum Sauppius vs. 408 delevit (Quaest. Plaut. pag. 6.), Ussingius in ed. 406—408, item Langenus (Plaut. Stud. pag. 359), Ladewigius (Phil. XVII pag. 456), Lorenzius (Phil. XXXV pag. 171); Götzius eos in ed. maj. uncis saepsit, uncos tamen in minore omisit.

Quid autem viri docti in his versibus reprehendere possint, satis perspicuum est. Pseudolum colloquio sc. 1 demum cognosse, in qua sit necessitate Calidorus extricandi alicunde viginti minas; deinde statim esse secutas lenonis orationes ad servos atque ad mulieres ejusque cum Pseudolo atque Calidoro colloquium; nullum igitur spatium interjectum esse, ad quod hoc nostri loci „jam pridem" referri possit.

Quod insuper adversus hunc locum afferunt, haec non apte convenire cum vs. 418—426, minus grave est. Illa verba Pseudoli enim (vs. 423 sqq.) possunt hoc tantum significare, ipsum verbis Simonis confirmatum videre id, quod e vultu habituque ejus jam ante suspicatus sit: de argento ei aliquid suboluisse.

Hoc igitur levius; sed quod priore loco attuli, nonnullum habet pondu, neque ejus explicatio in promptu est.

d.) Act I, sc. vs. 5, vs 547 sqq.

Postquam Pseudolus et Simo illud pactum vere comicum inierunt, Pseudolus sibi auxilium Calliphonis petit,

Da in húnc diem operam, Callipho, quaeso, mihi.

Respondet Callipho se jam animum induxisse rus eundi, servi causa tamen id mutaturum esse consilium: spectare enim se velle, quo modo rem tractaturus sit. Priusquam Callipho abit, servus eum denuo promissi commonefacit (vs. 559).

Sed té volo
Domi úsque adesse.......

quod se facturum Callipho affirmat: Quin tibi hanc operam dabo. Exspectare profecto debebas, haec omnia quippe quae non strictim percursa sed ita tractata sint, ut vix quemquam ex spectatoribus praeterire possent, ad insequentem fabulae partem attinere et Calliphonem aliquo modo dolorum Pseudoli participem fore. Verum res exspectationem fallit: nusquam postea Calliphonis mentio fit.

Lorenzius putare videtur, Plautum hoc ipsum voluisse, ut Pseudolus nondum certo consilio inito, sibi dumtaxat auxilium Calliphonis compararet, quo, si res ita ferret, post uteretur, talem occasionem vero rerum posteriore eventu exclusam esse (Introd. pag. 20).

Sed quicunque ita existimat, non satis accurate sibi definiisse mihi videtur quo tales res pertineant. Id enim in quaestionem venit: *a*) possitne Graecus poeta, quem Plautus secutus sit, ita rem instituisse, ut Pseudolum alicujus personae auxilium petentem finxerit, idque ita, ut hoc tanquam primarium aliquid spectatoribus animo infigatur, cum tamen postea nusquam eo usurus sit auxilio; *b*) sin autem Plautus addiderit, quae causa probabilis addendi id, quod cum reliqua fabula apertissime pugnet, inveniri queat.

Quod posteriore loco *b*) posui jam statim abjiciendum est.

Si igitur hic locus ad poetam Graecum referendus est, non videtur explicari posse, quo modo Lorenzius explicat. In poeta, qui antequam ad scribendam fabulam aggrediatur, certum argumentum excogitatum habet [1]), suapte natura talis fictio artificiosa et longe petita est.

§ 4. *c*) Actus tertius neque cum praecedentibus neque cum sequentibus pugnat, sed paene totus extra argumentum in fabulam illatus est. Tantum e vs. 168 efficere licet, lenoni die festo coquum cenam cocturum esse. Ballio etiam dicit, se ad pisces emendos ad forum ire

---

[1]) Conf. de ratione, quam Graeci poetae *τῆς νέας* sequebantur, Plut. de Gloria Atheniensium, pag. 347 f *λέγεται δὲ καὶ Μενάνδρῳ τῶν συνήθων τις εἰπεῖν· ἐγγὺς, ὦ Μένανδρε, τὰ Διονύσια καὶ σὺ τὴν κωμῳδίαν οὐ πεποίηκας; τὸν δὲ ἀποκρίνασθαι. νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε [πεποίηκα τὴν κωμῳδίαν], ᾠκονόμηται γὰρ ἡ διάθεσις, δεῖ δ' αὐτῇ τὰ στιχίδια ἐπᾷσαι.* Haec verba planum faciunt, si forte ea res demonstratione egeret, etiam a poetis Graecis argumentum primariam operis partem habitum esse.

velle (vs. 169 sq). In insequentibus (vs. 956, 957) mentio coqui fit: ceterum neque cena neque coquus ullum in argumento locum obtinet. Id valde mirum, quia, quod supra disputavi [1]), poetae Graeci tales scenas, quibus mores alicujus hominum generis ordinisve irridebant, cum cura et arte fabularum argumentis applicare solebant.

Ad explicandam rem in promptu erat conjectura, Plautum hunc locum ex alia fabula huc inseruisse. Eam etiam protulit Sauppius, Quaest. Plaut. pag. 8.

Ejus sententiam tamen Lorenzius justis argumentis impugnavit: necesse esse, Ballionem domum redire, antequam Pseudolus Simiaque ad ejus aedes adveniant [2]), item, scenam fuisse hoc loco in Graeco exemplari, in qua nullae Pseudoli partes essent, ut is vel potius histrio, qui eam personam ageret, aliquamdiu requiescere posset; actum tertium autem iis vicibus fungi. Praeterea locos, qui ad hunc actum respiciunt ejusmodi esse, ut vix a Plauto additi esse possint; eos suapte natura ipsi poetae Graeco qui in argumento, quod menti propositum haberet, huic scenae locum tribuisset, assignandos esse [3]).

Ergo difficultas in eo posita est, ut hic locus neque ex alia fabula huc translata esse possit, neque cum hujus fabulae argumento connexus sit.

Ea etiam augetur scena 1 hujus Actus, quae soliloquium pueri lenonii continet. Nemo enim adhuc expedivit, in quem finem in fabulam illata sit. Tamen querela pueri etiam eo nititur, quod in argumento totius gravissimum est, lenonis diem natalem esse.

Lorenzius totam scenam delendam proposuit; perperam, ut infra accuratius disputabo: retinenda est. Eorum quoque sententiam improbaverim, qui Act. III parum argumento applicatum esse consentientes, tamen id non ad-

---

[1]) Conf. § 8 Cap. I.
[2]) Vid. Phil. XXXV, pag. 173.
[3]) In ed. pag. 24.

modum explicatione egere putent. Quod etiamsi de sc. 2 concesseris, sc. 1 eam opinionem necessario redarguit. Confitendum igitur est in argumento quaedam deficere, quae hunc actum artius cum reliqua fabula connectere possint.

f.) Ritschelius adversus librorum fidem sc. 1—4 Actus IV cum Actu III continuat et a sc. 5 Act. IV novum actum incipit. Neque sine causa id instituisse videtur. Viri docti enim demonstraverunt (postremus Leo, Plaut. Forsch. pag. 203 sqq.) quinquepertitam fabularum divisionem antiquum morem sequi. Par igitur est ejus divisionis rationem habere et quaerere, num in libris argumento accommodata tradita sit neque in ea re, ubi opus videatur esse, emendando supersedere, cum contra de scenarum discriptione, recentioris aetatis invento et saepe fabulae ipsi satis incongruo, tuto ea negligere liceat.

Constat autem post abitum Pseudoli Simiaeque aliquantum temporis intercessisse, antequam leno denuo in scenam prodierit. Sine aliqua intermissione enim soliloquium Ballionis (IV, 5), ejus cum Simone conventus (IV, 6), adventus veri Harpagis ejusque cum Simone et Ballione colloquium (IV, 7) inter se succedunt. Quo diei tempore hoc colloquium habitum sit, efficere licet e verbis Harpagis, vs. 1157:

⏑⏑ — At máturate propera: nam propero: vides
Iám diem multum esse?

Praeteriit ergo iam meridiei tempus et paullatim advesperascit [1]).

Pseudolus autem in sc. 4 vs. 1028 dicit:

Metuo áutem ne erus redeat etiam dum a foro.

Id demonstrat tempus, quo Phoenicium a Pseudolo ab-

[1]) Idem diei tempus efficitur, si sic computaveris, Harpagem ad meridiem advenisse, deinde dormivisse etiamque aliquamdiu adventum Pseudoli exspectasse (vs. 664, 110).

ducta est, circa meridiem fuisse; notissimum enim est, propter aestum solis ante meridiem res forenses finiri solitas esse [1]). Huic rei bene convenit, coquum non ita longum tempus in aedibus Ballionis esse; rursus inde non discrepat, Harpagem ad meridiem Athenas venisse (vs. 1174); et is enim statim se ad lenonem contulerat, et Pseudolum post acceptum symbolum quam maxime festinasse consentaneum est.

Sed si temporis intervallum inter sc. 4 et sc. 5 Act. IV statuendum est, mira videri possunt verba Ballionis, vs. 1052 sq.

Haháe nunc demum mi animus in tuto locost,
Postquam íste hinc abiit atque abduxit mulierem.

Sonant enim tanquam statim post abductionem Phoenicii dicta.

Unde vero Simo (IV, 6) cum Ballione conveniens emergit? Tempus enim refutat, si eum a foro redire putaveris. Tamen ita exspectes, nam neque ipse vel verbo explicat unde veniat, neque quoquammodo spectatores certiores facti sunt eum non amplius in foro esse. Eo enim (I, sc. 5, vs 560) se contulerat, ibi cum Ballione collocutus erat (Act. III, 2, vs. 896), inde ne rediret Pseudolus timebat (vs. 1028). Sed nusquam eum inde abiisse memoratum est.

Solent autem in fabulis aut personae agentes unde veniant ipsae explicare, aut abitus reditusque ita facilem ex argumenti tenore intellectum habere, ut nihil in iis obscuritatis esse possit. Sic in nostra fabula Ballio in principio Act. III breviter explicat unde veniat, item Pseudolus in initio Act IV, item Act V. Non aliter in Menaechmis Cylindrus vs. 273, Peniculus vs. 448 sqq.; vs. 466 Menaechmum I ab Erotio venire et propter praecedentia et ex ipsius

[1]) Conf. Xen. Anab. I, 8, 1; Her. IV, 161. Suidas tempus pleni fori inter tertiam sextamque diei horam concludit.

verbis satis perspicuum; item Matronam domo a parasito accersitam esse; Menaechmum II deinde a foro redire ex ipsius verbis apparet; vs. 701 Menaechmum I adhuc Messenionem quaerere etiam ex ipsius verbis perspicuum (vs. 703, conf. vs. 557). Non opus est profecto plures locos proferre. Qui id agens comoedias perscrutabitur, videbit, poetas in hac parte perspicuitati maximopere studuisse.

Hic tamen Simo domo exisse nequit (nam in verbis Ballionis — IV, 5 — illud 'sed crepuit ostium' vel tale quid non est), neque autem a foro redire putandus est propter tempus, ut supra demonstravi. Unde igitur venit?

Res eo difficilior est, quod nequaquam constat, Ritschelium jure finem Act. III post Act. IV, 4 librorum relegasse.

Act. III enim partem in se rotundam efficit, ad intermittendam actionem Pseudoli a Plauto interpositam. Habet ex omni parte indolem ejus quod Itali hodierni „intermezzo" dicunt. Itaque hujus loci naturae convenit, ut et a praecedentibus et a sequentibus separatus, actus per se habeatur.

Omnibus computatis non nimium mihi sumpsero, si utique statuam, hoc loco fabulae constructionem solito obscuriorem esse.

§ 5. *g.*) IV, 6, vs. 1079—1086.

In disputatione, inserta Mus. Rhen. XXIII, pag. 426, Kiesslingius hos versus in suspicionem vocavit. Ex iis, quae hic eum offendunt, gravissimum est, hunc locum cum fine Act. III (vs. 896 sqq.) male convenire. Lenonem enim, cum in foro esset, a Simone admonitum esse, ut a Pseudolo caveret. Itaque id non intelligi posse, cur non tunc leno, cum enim in sermonem de Pseudolo incidissent, Simoni narraverit, paullo ante secum Calidorum Pseudolumque jam collocutos esse. (Conf. Lor. in ed. pag. 207, adnot ad vs. 1061—1068).

Nemo, opinor, hoc verum esse negabit. Tantum ratiocinatione artificiosa et quaesita eorum locorum discrepantia tolli potest.

h) Act. IV, vs. 1144 sqq.

At hic est vir bonus
Séd tu, bone vir, flagitare saepe clamore in foro
Quóm libella nusquamst, nisi quid leno hic subvenit tibi.

His verbis leno protervitatem Simonis ipsum illudentis comprimit mentione officii, quod ille contemptus leno ipsi olim praestiterit.

Hic valde me offendit amicitia lenonis et Simonis; et admiratio subit, neminem ante me hic videri haesisse.

Num dives Simo atque nobilis — solent enim senes comoediae summi in civitate ordinis esse — in foro auxilium lenonis, hominis infimi ordinis, despicati, sordidi invocavit? Nihil secius omnino consuetudine lenonis uti videtur, quippe qui cum eo satis familiariter communicet de mercatu suo et negotiis, narretque ei se Phoenicium militi Macedonio vendidisse (1090).

Est hoc et inauditum, et a comoedia moribusque Graecorum alienum (Conf. Cap. I § 8). [1]).

Praeterea in persona Simonis incongruum est, eum

---

1) Lorenzius non magis quam alii viri docti hunc locum a moribus comoediae alienum esse notavit, tantummodo id sollicitavit, quod Simo aliquando argenti indigens a lenone adjutus est. A vs. 437 proficiscens conjecit, Simonem adhuc adulescentem magnum aes alienum conflasse. Sed praeterquam quod id pugnat et cum iis quae ceterum de Simone in hac fabula cognoscimus, et in universum cum persona patris comici, ea conjectura maxima offensio, quae est in consuetudine Simonis et Ballionis non expeditur. Conf. Cap. I § 7.

Solus Rudentis exitus parvam cum hoc Pseudoli loco similitudinem habet; verum tamen quod leno a Daemone ad cenam vocatur, id quadamtenus negotio peracto cumulum addit; saltem longe alia res est quam haec Simonis et Ballionis familiaritas. Sed praeterea notissimum est, in exitibus fabularum Plautum saepe ab exemplaribus Graecis declinasse; itaque in Rudente quoque veri simile habuerim, exitum illum inexspectatum ipsi Plauto deberi.

videri omnem adversus Pseudolum iram deposuisse. Videtur potius tacite secum gaudere, servum lenonem tam male habuisse; immo etiam ejus calliditatem admirari videtur [1]. Conf vs. 1212, 1328 sqq.

§ 6. *i.*) Lorenzius Simonem Actus V, 2 nihil differre judicat a sene illo, quem in Actu IV in Pseudolum magis admiratione quam invidia commotum offendimus [2]. Quae opinio non admodum a ceterorum virorum doctorum aberrare videtur (Conf. Ritsch. Opusc. II pag. 769). Sed sana hujus loci interpretatio alio ducit. Vs. 1286 satis ostendit, Simonem verba

V ó x v i r i p é s s u m i m e é x c i e t f o r á s

(vs. 1285) secum loqui. Quem animum hic erga Pseudolum ostendat, satis perspicuum est. Cur tamen tantam adversus servum ebrium temperantiam adhibeat, ex vs. 1291 sq. apparet:

S e d m e h ó c v o t a t v i m f á c e r e n u n c
Q u ó d f e r o: s i q u a i n h o c s p é s s i t a s t m i h i.

Ceterum vs. 1295 verba

C u r e g o a f f l i c t e r?

quae vix aliud quid indicare possunt, quam Simonem Pseudolo colaphum aut infringere aut infracturum se esse minari;

tum vs. 1316

Q u i d e g o h u í c h o m i n i f a c i a m? S a t i n u l- t r o e t a r g e n t u m a u f e r t e t m e i n r i d e t?

nec non vs. 1325

S i. E r i t ú b i t e u l c i s c a r s i v i v o. P s. Q u i d m i n i t a r e? h a b e o t e r g u m [3])

---

[1]) Id jam J. Naudet (Conf. Cap. I § 3) observavit.

[2]) Ed. Intr. pag. 24 „er (sc. Simo) verkehrt mit ihm in gröszter Cordialität (1302—1306), ein schwacher nachgiebiger Greis, nur darauf bedacht, wenigstens einen Teil seines Geldes zu retten (1291, 1323, 1328 sqq.)."

[3]) Lorenzius hujus versus lectionem suspectam habuit. Immerito; nam et oratio et metrum sana sunt; sententiam autem similem plane similiter Capt. vs. 563 sq. verbis complexam invenies;

senis simulationem et iram sub tranquillitatis specie latentem etsi non aperte ostendunt tamen satis indicant, ut verum suspicemur. Eam scenae nostrae explicationem veram esse, hac quoque re confirmatur, quod in Act. IV (vs. 1241 sqq.) Simo promisit, se ultro Pseudolo argentum oblaturum (conf. infra), hic vero idem Simo omni opera obnititur, ne dare debeat. Haec tam manifesta discrepantia tanquam digito monstrat, in quam partem nobis accipienda sit haec scena, quamvis alioquin de ejus interpretatione dubitare debeamus.

j.) Postremo finis Act. IV cum fine sc. 1, initio sc. 2, Act. V non plane convenire videtur.

Pseudolus ante aedes Simonis magna voce clamitans (vs. 1284)

Á p e r i t e, a p e r i t e, h e u s S i m o n i m e a d e s s e a l i q u i s n u n t i a t e.

erum foras exciet (1285):

V ó x v i r í p é s s u m í m e é x c i e t f o r á s [1]).

At vs. 1239 sqq. Simo promiserat:

N ú n c m i h i c e r t u m s t a l i o p a c t o P s e u d o l o i n s i d i a s d a r e,
Q u á m i n a l i i s c o m o e d i i s f i t, u b i c u m s t i m u l i s a u t f l a g r i s
'I n s i d i a n t u r, a t e g o j a m i n t u s p r o m a m v i g i n t i m i n a s,
Q u á s p r o m i s i, s i e f f e c i s s e t: o b v i a m e i u l t r o f e r a m.

Illud 'm i h i c e r t u m s t a l i o p a c t o P s e u d o l o i n s i- d i a s d a r e' mire dictum, sed si recte locum intelligo,

---

E í a c r e d o e g o i m p e r i t o p l a g a s m i n i t a r i s m i h i
T á n d e m i s t a e c a u f e r.

[1]) Hic locus plane similis est eorum, ubi quis pultando foras vocatur, non eorum, ubi quis alium quem ex insidiis speculatur.

Conf., prioris generis exempla,: Bacch. 1117 sqq., Men. 673 sq., Truc. 255 sq., Trin. 1174—1176, Rud. 413, 414; posterioris: Asin. 384, 385, Capt. vs. 830—836, Pseud. 605, ib. 1136—1141.

hoc voluit poeta: Simonem constituisse, ut argento prompto insidias daret Pseudolo et advenientem exspectaret, ut ei pecuniam traderet. At id minime facit. Hoc unum cum vs. 1239 sqq. congruit, quod foras exiens cruminam manibus tenet; argentum igitur, quod se prompturum dixerat, re vera prompsit.

Quod autem dixit ultro feram, hic quidem (sc. Act. V) nihil minus quam ultro. Immo omnibus modis nititur, ut Pseudolus argenti sibi veniam faciat.

§ 7. Langenus in Studiis Plautinis [1]) de inconcinnitatibus et discrepantiis, quae in fabulis Plautinis inveniuntur, disputans de multis Pseudoli locis aliter judicavit; partim eum non offenderunt, quae me gravissime (e. g. familiaritas Simonis cum lenone), partim incongrua ei visa sunt, quae ego sollicitare nolui.

Ejus differentiae magna causa est, quod ego quam maxime ad antiquae comoediae ipsius indolem hanc comoediam exigere conatus sum, Langenus vero etiam ea, quae nostro sensui pulchri concinnique adversantur, at rationibus antiquae comoediae ita necessaria fuerunt, ut sine iis constare nequiret, sedulo indicavit. Ejus modi est cum, quoniam antiqua scena semper platea esse fingitur, in publico tractantur disputanturque quae aptius in aedibus peragerentur, e. g. Ballionis ad servos et meretrices admonitiones, quae ex hac parte deliberationi Pleusiclis Palaestrionis Periplectomeni in Mil. Glor. (596 sqq.) similes sunt. Itidem incongrua saepe hinc oriuntur, quod fabularum actio semper biduo maximum peragitur. Velut in Captivis maximae difficultates inde ortae sunt. (Conf. Langeni l.l. pag. 20 sqq.). Ea re etiam in nostra fabula factum est id, quo offenduntur Langenus et Lorenzius, ut Calidorus tamdiu exspectet (vs. 9 jam hos multos dies),

1) P. Langen Plautinische Studien. Berlin 1886, Verlag von S. Calvary u. Co.

dum suam inopiam cum Pseudolo communicet. E duabus rebus non admodum veri similibus poeta alteram eligeret, necesse erat, ut aut Phoenicium sero demum amatori se venumdatam scripsisse fingeret, aut adulescens postremo die ante abitum Phoenicii rem servo narraret. Totius argumenti ratio enim flagitat, ut postremo die intra breve temporis spatium servo auxilium inveniendum sit.

Sed et alibi Langenus incongrua vidit, ubi ego non video. Vituperat, quod Ballio Phoenicio objicit, eam ab amatoribus impetrare non posse, ut tandem promissum efficiant ipsamque liberent; Phoenicium enim jam veniisse et cras abductum iri, Ballionem id probe scire. Sed vide ne res ita explicari possit, ut Ballio, homo crudelis, ad plagas minasque proclivis, putans, Phoenicium totam rem nescire — nam ipsum id ei narravisse absurdum est — quodam gaudio minitandi et territandi eam quoque acerbe compellare existimetur.

Minus etiam probo, quod dicit (ib. pag. 202, 203) in Harpage inconcinnum esse, quod argentum Syro tradere noluerit, symbolum vero, quod multo majoris momenti est, ne rogatus quidem tradat („psychologisch ist dies ganz undenkbar"). Immerito poetam vituperat, nam Harpax non de veritate verborum Syri vel potius Pseudoli dubitat, sed utpote servo argentum ei tradere non vult. Quam illud ob rem, satis perspicuum est (conf. vs. 642). In symbolo idem ei non metuendum est; nulla igitur causa ei erat, quin servo id ero postea tradendum committeret.

---

§ 8. De his in compositione Pseudoli salebris multi viri docti ita disputaverunt, ut locos cum reliqua fabula pugnantes ab interpolatoribus aut additos aut mutatos esse censerent. Ea autem ratio tollendae discrepantiae

et in universum non laudabilis [1]) est et in Plauto, aequabilitatis et concinnitatis in conscribendo parum curioso, maxime perversa.

Nullis igitur manifestis indiciis diversi stili vel recentioris orationis suadentibus, locum aliquem tantum ob id, quod contextui non convenit, interpolatori attribuere noluerim. Sed maxima virorum doctorum pars aliter censuit.

Tot virorum autem egregiorum opinionem, re non accuratius disquisita, rejicere parum modestum est. Omnes igitur locos, qui in Pseudolo a viris doctis Plauto abjudicati sunt, percensebo, quaeque contra traditionem prolata sunt, refellere conabor.

Primus, quod scio, A. Kiesslingius in dissertatione s. l. (Pars I § 9 in fine) vs. 1079—1086 interpolatos esse ab histrionibus judicavit. Quattuor argumenta attulit:

a. Hunc locum male convenire vss. 896 sqq. (Conf. Pars I § 9).

b. Vs. 1079 Si. Sed cónvenistin hominem? Ba. Immo ambo simul male applicari vs. 1067: Si. veníte homo ad te? Ba. Non. Si. Quid est igitur boni? Rem ipsam enim ferre, ut post interpositam sponsionem, Simo idem denuo quod ante rogaret; vs. 1067 vero eum longe aliud quid rogare atque vs. 1079.

c. Vs. 1087 Quid est quód non metuas ab eo? id audire expeto cum praecedentibus vss. male connexum esse, post deletos autem vs. 1079—1086 apte ad vs. 1067 referri posse.

d. vs. 1081 Nugas theatri non habere colorem Plautinum.

Hanc Kiesslingii sententiam amplexus Lorenzius argumentum novum addidit:

---

[1]) In aliis locis litterarum jam omnes id agnoverunt. Conf. e. g. Seeck, Zur Echtheitsfrage der Scriptores Historiae Augustae (Rh. M. XLIX pag. 209 not 1): „Klebs verwirft zwar principiell die Methode sachliche Schwierigkeiten durch Annahme von Interpolationen zu beseitigen......"

e. Locum totum jejunum esse et conflatum ex frustulis aliunde repetitis („Dürftigkeit des nur Reminiscenzen gebendem Inhalts").

Duo gravissima, quae qui conjecturam interpolationis manifesto probare velit non debet omittere, et Lorenzius et Kiesslingius neglexit: alterum, ut ostenderet, quare inductus interpolator locum interpolaverit, alterum, ut exemplis demonstraret, ejusmodi interpolationes plures in Plauto inveniri. In utroque non voluntas, opinor, sed facultas eos defecit.

Equidem tantum tria additamentorum genera in fabulis Plautinis novi:

1°. interpolationes ortas e vocibus interpretandi causa additis;

2°. interpolationes natas ex ascriptis locis parallelis;

3°. interpolationes ortas mutationibus aut decurtationibus ab histrionibus ad usus scenicos factis.

Interpolationes ejus quod primo loco attuli, generis, ex singulis tantum versibus constant; et ideo facile agnosci possunt et jejuno quo sunt conscriptae stilo. Conf. Cap III ad vs. 159.

De glossematis ex ascriptis locis parallelis natis egit Ritschelius, Opusc. II pag. 274 sqq. Ejus generis exempla omnia admodum paucorum versuum — ni fallor summum trium — sunt. Facile agnosci possunt; iterant enim verbis paullo diversis aliquam textus genuini sententiam. Fere semper iis locis occurunt, qui simile argumentum varie tractantes saepius apud Plautum occurrunt, e. g. narrationes somniorum, cantica servorum proborum, cantica adulescentium amore captorum.

De interpolationibus histrionum ad epimetrum in fine hujus Capitis additum refero. Sunt loci paucorum versuum ex frustulis Plautinis conflatorum, ab histrionibus ea mente additi, ut parte fabulae omissa sequentia praecedentibus applicarent.

Hunc locum similis naturae esse, nemo, opinor, qui

locos ibi allatos comparaverit, Lorenzio credet; cum praesertim nullum monstraverit locum Lorenzius, ad cujus exemplum confectus sit. Ad duo autem alia genera jam propter ambitum multo majorem (octo versuum) pertinere nequit. Sed praeterea oratione ac stilo ab iis longe diversus est.

§ 9. Cum igitur neque causa interpolandi idonea inveniri possit, neque sententiae eorum, qui hunc locum interpolatori tribuunt, status et condicio, quibus fabulae Plautinae ad nos pervenere, admodum favent: ad eam conjecturam ita recurrendum est, si locus manifesto ad aliud argumentum pertineat aut si metrum atque oratio clare aliam manum arguant.

Denuo igitur argumenta Kiesslingii et Lorenzii percenseamus.

Argumentum *a* pari jure contra interpolationem atque contra originem Plautinam afferri potest. Aeque facile enim Plautus hic peccasse potest quam interpolator, cum praesertim Plautum in fabulis conscribendis satis magna socordia fuisse et in elaborando multimodis peccare solitum esse, aliunde satis sciamus. (Conf. de socordia Plauti in componendis fabulis Langeni Plaut. Stud. partem primam; Leonis Plaut. Forsch. Cap. III 6, pag. 150 sqq.)

Etiam argumenta *b* et *c* admodum levia sunt.

Quod Simo vs. 1067 rogat „Q u i d e s t i g i t u r b o n i?" iis verbis Ballio non statim respondet, sed a proposito digreditur. Post eam digressionem altera sequitur digressio. Estne igitur sanum ex iis digressionibus alteram damnare, quod digressio sit, alteram tamen non sollicitare? Nonne eadem regula ad utramque adhiberi debet?

Quid autem — si hoc semel posueris, poetam immemorem fuisse ejus, quod in fine Act III Ballionem dicere fecit — incongrui in eo inest quod Simo cognito, Pseudolum Ballionem nondum elusisse, rogat, num omnino cum Pseudolo jam congressus sit [1])?

---

[1]) Quod Lorenzius dicit, hunc locum jejunum esse (dürftig), mirum judicium fert. Solumne locum ex tota scena, qui paullo lepidior sit, tamquam glossema damnare!

Itaque adducor ut credam, haec argumenta tum demum conquisita esse a Kiesslingio, postquam semel ob discrepantiam ab Act. III hunc locum damnavit. Similis naturae est, quod n u g a s t h e a t r i non habeat colorem Plautinum. Verbum *theatrum* me in Plauto praeter hunc locum legere non memini; absurdum tamen esset ideo contendere Plautum eam vocem non usurpasse (Conf. Cap. III ad vs. 524—545). *Ἅπαξ εἰρημένον* damnare, quod sit *ἅπ. εἰρ.*, paucitas monumentorum et litterarum antiquitatis quae ad nos pervenerunt vetat. Vox *theatri* autem Plautina aetate Romae ignota fuisse non potest; necesse est, cum re etiam nomen allatum fuisse. Sed plus est. Habemus testimonium Naevii (vs. 71, Ribbeck Fr. Com. Rom.)

Q u a e é g o i n t h e a t r o h i c m e i s p r o b a v i p l a u- s i b u s.

Solet autem Plautus saepius argumento relicto *ἀπροσδοκήτως* jocum petere ex rebus scenicis: Most. 1152

Óptumas frustationes dederis in comoediis.

Conf. praeterea Pseud. vs. 1240 sqq.; Bacch. 649 sqq. Vs. 1080, 1081 igitur potius stilum Plautinum arguunt.

Aliud pro origine Plautina argumentum recte peti potest ex descriptione ingenii lenonis, qui bonae famae incuriosus fingitur, ex ipsis animi sordibus et duro adversus contumelias ore tutelam quaerens contra hominum contemptum: vs. 1084

E r g o h a u d i r a t u s f u i
N a m q u á n t i r e f e r t e i n e c r e c t e d i c e r e,
Q u i n í l i f a c i a t q u i q u e i n f i t i a s n o n e a t.

Hoc vere Plautinum est; conf. Pseud. 357 sqq. Si interpolatoris est, judicium ille quidem habuit elegantius quam in illo hominum genere offendere solemus.

In vs. 1079 S e d c ó n v e n i s t i n h o m i n e m?
B a. I m m o a m b o s i m u l

posterior versus pars priori responsum fert cum superlatione. Haec insignis Plautini sermonis proprietas est: Pseud vs. 353.

Ca. ⏑́ ⏑ ⏑ Nempe conceptis verbis? Ba. Etiam consutis quoque.

ib 367 Ca. Vérberavisti patrem atque matrem. Ba. Atque occidi quoque

Pers. 284 sqq. Sa. Video égo te, jam incubitatus es. Pae. Ita sum: quid id attinet ad te?
At nón sum ita ut tu, gratiis. Sa. Confidens. Pae. Sum hercle vero:
Nam ego mé confido liberum fore: tu te nunquam speras.

Conf. Pseud. 739, 745, 746, 747, 748; Ep. 30, passim.

Postremo vs. 1087 aptissime intelligitur si, ut in textu tradito post longiorem digressionem Simo ad propositum redit:

Quid est quód non metuas ab eo *id audire expcto.*

§ 10. Ut interpolatio in loco tractato probari non potest, ita multo etiam minus ubi Lorenzius eam commendat in Act. III sc. prima.

Nullum justum argumentum in ejus defensionem attulit. Conf. ed. Intr. pag. 25, not. 23.

„So notwendig und gut angebracht diese Scène ist (sc. Act. III sc. 2), so wenig nothwendig und so schlecht ausgeführt erscheint die siebente. Es ist nicht abzusehen, was den Plautus bewogen haben sollte nach der im ersten Canticum gegebenen grossen Schilderung der Zustände im Hause des Leno, noch eine ganz unmotivierte Fortsetzung derselben hier zu geben und zwar eine der widerlichsten Art. Der Puer ist sofort nach derselben wieder verschollen: denn der 833 sqq. angeredete kann der Pedisequos sein oder ein mittlerweil aus dem Hause getretener. Zu Gunsten des Dichters selbst möchte man daher gerne glauben, dass nicht bloss 768, sondern die ganze Scène unecht wäre, eine spätere Schauspielerinterpolation zum Vergnügen der niedrigsten Klasse des Publicums."

Ab initio ad finem hoc est: corrigere poetam, non textum. Vide enim quam apte in alteram partem: „nullo modo intelligi potest, quare histrio hunc locum contextui non accomodatum addiderit. Credideris Plautum eum addidisse captandae plebeculae gratia." Sed apage nugas. Ad refellendam ejusmodi conclusionem argumentis non opus est.

De ingenio autem loci conf. e.g. Pers. 846 sqq.

§ 11. Duobus his locis Leo interpolationem alia ratione et quidem multa probabiliore defendit; censet utrumque locum additum esse ab histrionibus, qui in praecedentibus quasdam scenas sustulissent.

Adnotat enim in editione [1])

ad vs. 767—789: „(scena) interpolata videtur in actione, ut invicem succederet scenae secundae Act I."

ad vs. 1079—1086: „interpolatorem detexit Kiessl., qui simili ratione atque sc. 1 Act. III pro I, 2, hos versus in scenae I, 3 vicem intulisse videtur."

Ita saltem suo fundamento nititur conjectura, sed nescio an ne sic quidem probanda videatur. Quae contra eam monuisse velim ordine apponam.

1°. Una tantum causa rata esse potest, cur ii qui scenam 2 Act. I sustulissent, hunc locum addiderint: scilicet, ut ea, quae scenam coqui cum cetero fabulae argumento connecterent, hic repeterent [2]). Sine dubio illic maxime vs. 157—170 eam vicem explent, quibus leno servis

1) Plauti Comoediae. Recensuit et emendavit Fridericus Leo. Berolini apud Weidmannos. Vol. II. (prodierunt adhuc. Vol. I, II).

2) At dicat quispiam, nullam esse necessitatem, ut is, qui sc. 2 Act. I sustulisset, sic egerit. Factum esse fortasse, ut histrio aliquis vel gregis magister, non omnis artis rudis, locum a se ipso excogitatum fabulae addere ad restituendum connexum mallet quam breviter ea, quae Plautus scripserit, repeteret. Concedo: cogitatione quidem talis histrio idemque poeta effingi potest. Sed vide ne sic a veri similitudine toti aberremus. Quod hodierni in fabulis poetarum vetustiorum (e. g. Shakspeare, Molière), quas denuo acturi sunt, facere solent, documento esse potest, quid rebus temporibusque similibus antiqui fecerint.

suum cuique munus ornandi, lavandi imperat et omnia dum adveniat coquus praeparare jubet, ipse piscium emendorum causa in macellum iturus. Summam eorum versuum igitur sc. 1 Act. III repetere debebat. Sed ibi ex iis nil prorsus invenitur.

De altero loco fere simile quid valet. Sublata semel sc. 3 Act. I, versibus 1079—1086 non opus erat. Nihil restituunt ex iis, quae I, 3 sublata amissa essent. Quid igitur adduceret eum, qui I, 3 rejecisset, ut huc versus inutiles adderet, argumento non necessarios?

2°. In hac fabula persona Ballionis maxime insignis est (conf. Cap. I, § 10). Ingenium autem lenonis praecipue describitur, vel potius nobis proponitur scenis secunda et tertia Actus I, ut iis omissis Ballionis persona naturam, imago lineamenta perdat.

3°. Histriones in iis, quae parti sublatae proxima erant, pauca mutare solebant ad reparandum contextus damnum. At in fabula nostra loci interpolati longo scenarum intervallo a partibus sublatis separati fuissent. Ejus modi mutandi rationis haec sola exempla forent.

4°. Quod jam supra attuli, hi loci longe aliter compositi sunt atque ceteri, qui histrionibus debentur. Ii enim ex verbis dictionibusque Plautinis conflati miserabile opus exhibent eorum, quibus Musae nunquam propitiae fuerunt, hi oratione et stilo Plauto dignissimi sunt.

His omnibus perputatis non dubito etiam Leonis conjecturam rejicere.

Restat unus locus, quem fere omnes critici interpolatum habent, sc. vs. 406—409 (Conf. Part. I hujus Cap. § 7). Etiam Langenus, cujus rationi judicandi de arte Plautina (quam in universum probandam censeo) conveniens esse solet, ut inconcinnitates interpolatori non tribuat, hunc locum ipsi Plauto nullo modo assignari posse existimavit. Plautumne vs. 406 ea dicere, quae pugnent cum iis, quae jam statim vs. 422 sqq. sequuntur!

Ego tamen demonstravisse mihi videor (§ 7) hoc non

recte esse conclusum; vs. 406—401 tantum cum praecedentibus pugnare. Fingite enim in praecedentibus re vera locum esse, quo ei versus respicerent, Pseudolum re vera alio modo, ut Simonem eluderet, tentaturum fuisse; quis sic propter vs. 422 sqq. hos de quibus agimus versus sollicitaret?

Quod si verum est, hi versus ad conclusionem ducunt longe aliam, arguunt enim in argumento aliquid deficere; qua ratione aut qua de causa, adhuc quaerere omitto.

§ 12. Omnibus locis igitur, ubi adhibita est ratio interpolationis argumentis parum firmis sustentatur. Verum majus est, quod insuper in ea vituperandum censeo. Ex toto inconcinnitatum numero, qui in Pseudolo non ita parvus est, pauca tantummodo explicat, in majoribus vero nos deficit atque ut aliud auxilium quaeramus, cogit. Velut ea ratio non explicat, cur Calidorus in tertia scena nescire videatur, quae in prima probe scit; cur Calliphonis auxilium a Pseudolo invocetur et nusquam adhibeatur; quo modo Simo Ballionis familiaris esse possit.

Ubi vero tot incongrua in una fabula conveniunt, ea explicatio quaerenda est, quae omnes complectatur. Quibus ex parte solvendis, ex parte relinquendis quaestio semper intricatior fit atque difficilior, cum simul via ad justam explicationem intercluditur. Sed priusquam talem explicationem invenire tentem, inquirendum est, num omnino haec incongrua egeant explicatione, num forte haec una ratio sufficere possit, ut meminerimus Plautum in compositione fabulae adeo incuriosum et socordem fuisse, ut omnis de origine et compositione fabulae conjectura supervacanea fiat.

Quo haec quaestio pertineat, ut bene intelligatur, imprimis utilis est consideratio, esse certum numerum comoediarum Plautinarum, quarum argumentum ab impedimentis et salebris libere decurrat. Asinaria, etiam Aulularia (etsi finis deficit), Menaechmi, Mercator, Mostella-

ria [1]), Persa, Rudens, Trinummus, Truculentus (quamquam corruptissimus) tamquam auctores sunto, ne inconcinnitatem compositionis ad Graeca exemplaria referamus; cum praesertim ubicunque Plautus ab instituto Graeci poetae declinavit, statim turbae fiant [2]).

Sed hic quoque magnopere cavendum, ne nimia in judicando severitate a recta via delabamur incidamusve in illam quandam subtilitatem quae sanae rationi maxime adversa sit.

Nuper Krausius et Jellinekius in dissertatione doctissima [3]) demonstraverunt, haud paucos scriptores aliud agentes intra fines suorum operum eas res finxisse vel dixisse quae cum praecedentibus sequentibusve, pugnarent. Et imprimis poetae scenico talis incuriae venia dari potest, quia spectandi et legendi rationes diversae sunt et inconcinnitates, quae legentes offendunt, a spectantibus saepe non notantur.

Attamen brevis consideratio locorum, quos in Parte I tractavi, docet, ex magna parte non posse accipi, easdem inconcinnitates, quae nos in Pseudolo offendunt, iam in Graeco exemplari fuisse.

Iam principio de familiaritate Simonis et Ballionis hoc valet. Nemo, opinor, ratione habita eorum, quae in Parte I disputavi, pertinaciter pertendet, scenam septimam Act. IV ita ut ad nos pervenerit, in Graeco exemplari fuisse.

Deinde fieri non posse mihi videtur, ut ipse poeta, qui fabulae argumentum excogitaverit, statim post primam scenam, quae fabulae expositionem exhibet, a priore proposito rationem diversam sit secutus, tanquam si omnino primam eam scenam non scripsisset. Hoc tamen fit in scena tertia Actus I, ubi et Calidorus et Pseudolus

1) Quanquam ordo hic illic turbatus est.

2) Conf. hic etiam Leo. Plaut. Forsch. III, 6.

3) M. H. Jellinek und C. Krause. Widersprüche in Kunstdichtungen. Z. Schr. f. Osterr. Gymn. XVIV, pag. 673 sqq.

eorum, quae in prima scena acta sunt, plane immemores inducuntur (Conf. Part. I § 5.)

Accedit, quod tertia scena multis partibus naturam ostendit scenae ad exponendum argumentum destinatae. Quae in prima scena jam explicata sunt, denuo explicantur: Phoenicium militi Macedonio esse venumdatam; quindecim minas jam numeratas esse, quinque adhuc deficere; quae argento reliquo solvendo dies extrema sit. Gravissimum hic est, quod nihil omnino est in iis, quibus Pseudolus ad fallendum Harpagem utitur, quod non iis, quae colloquio sc. 3 leno ei dixit, efficere potuerit. Nam quae postquam Harpax ei symbolum jam tradidit aut saltem se tradere velle ostendit, vs. 649 dicit, symbolum datum esse, ut qui simile attulisset ei virgo traderetur, id servus callidus jam e verbis Harpagis effecisse potest vs. 648:

N a m   í s t i c   s y m b o l u s t   i n t e r   e r u m   m e u m
e t   t u o m   d e   m u l i e r e.

Longiori disputationi parcam, nam satis est ostendisse, in Pseudolo haud pauca inveniri, quae tantum ratione, qua Plautus fabulam composuerit, explicari possint. Totam autem compositionis proprietatem inde natam esse, quod Plautus duo exemplaria Graeca similis argumenti in unum confuderit, in insequenti parte demonstrare conabor [1]).

EPIMETRUM.

§ 13. Communis virorum doctorum opinio est, textum Plautinum interpolationibus multifariam esse inquinatum. Nam dittographias quoque, quas in omnibus fabulis multas statuunt, ita ad interpolationem referunt, ut — nisi forte hic illic locus genuinus omnino sit expulsus — al-

1) Fri. Leo primus, quod scio, hanc opinionem protulit, Pl. Forsch. pag. 153 not. 2, „Weitere Untersuchung wird auch andere Stücke, z. B, den Pseudolus den sicher contaminirten einreihen."

terum locum ipsi Plauto, alterum retractationi posteriorum tribuant, utrumque genus postea a grammatico, qui fabulas Plautinas recensuisse videatur, in textum esse receptum, existiment.

Quorum si vera est opinio interpolationem apud Plautum tam late patere, necesse est, ut quaedam fuerint causae, cur antiquum poetam recentioris aetatis homines mutare voluerint. Ad elegantius artis judicium vel ad mutatam de brevitate progressuque fabularum opinionem vel ad simile quid id pertinere debet.

Conjectura haud improbabili, propter id quod etiam nostris temporibus fieri videmus, suspicati sunt, histriones ex fabulis Plautinis nonnunquam quosdam locos aut sustulisse in agendo aut in breviorem formam redegisse.

Fri. Leo ejus rei vestigia in libris Plautinis adhuc exstare censuit: versum aliquem nonnunquam paullo ante suum locum iterari: hoc secundo igitur loco olim in codicibus quibusdam in margine ascriptum fuisse, ut designaretur, versus ita tanquam circumclusos, in agendo omittendos esse [1]).

Accuratius inquirendum suscepi, et in quantum eorum versuum indoles atque argumentum huic sententiae faveret, et num alia in textu Plautino indicia inveniri possent, quae quorundam locorum juxta pleniorem ipsius Plauti breviorem olim formam exstitisse arguerent.

α. Primam partem Syrae in Cistellaria soliloquii, quo Selenii historiam spectatoribus narrat, editiones ita nobis exhibent, ut turba versuum in errorem inducti ex versibus varii generis atque originis eam compositam esse credamus. Sic ed. min. G. et Sch. eam nobis praebet:

[1]) Nam de quibusdam versibus iteratis haec scribit Pl. Forsch. (pag. 31, not. 3): „Einigemal sind diese Wiederholungen das Zeichen einer für die Aufführung beabsichtigten Kürzung und erweisen sich dadurch als sehr alt; vgl. zu Bacch. 64, 293 u. a."

Idem míhist quod magnae parti vitium mulierum
Quae hunc quáestum facimus: quae ubi saburratae sumus,
Largíloquae extemplo sumus, plus loquimur quam sat est.
Nam illánc ego olim quae hinc flens abiit paruolam
Puellam projectam ex anguportu sustuli.
(Aduléscens quidem hic est adprime nobilis
[Quin égo nunc quasi sum onusta mea ex sententia
Quiaque ádeo me complevi flore Liberi
Magis líbera uti lingua conlubitumst mihi:
Tacére nequeo misera, quod tacito usus est:]
Sicyóne summo genere: ei vivit pater:
Is amóre misere hanc deperit mulierculam,
Quae hinc módo flens abiit: contra amore eum haec deperit)
Eam méae ego amicae dono huic meretrici dedi, sqq.

Versus 126—129 infra in Cap III meae dissertationis (ad vs. 696*b* et *c*.) ostendam genuinos esse, sed ante vs. 123 transponendos. Sic restant versus, uncis rotundis a G. et Sch. saepti, qui hinc alieni sunt et ordinem narrationis aniculae turbant:

vs. 125 Aduléscens quidem hic est adprime nobilis
130 Sicyóne summo genere: ei vivit pater.
131 Is amóre misere hanc deperit mulierculam,
132 Quae hinc módo flens abiit: contra amore eum haec deperit.

Hos versus, si extremam partem soliloquii Auxilii contuleris, argumento versibus 190—193 similes esse invenies. Verborum autem differentia nimia est, ut credamus, eos aliquo inde casu huc irrepsisse. Sic enim vel hoc vix fieri potuit, ut duobus hic versibus de adulescente memorarentur ea quibus exponendis unus illic sufficeret. Etiam reliquae quae inter utrumque locum sunt discrepantiae aliam originem monstrare videntur:

a. vs. 131 habet *misere hanc mulierculam*, ubi vs. 191 *projecticiam illam;*

b. vs. 132 habet *modo*, ubi vs. 192 *dudum;*

c. vs. 132 ineleganter ex vs. 131 vocem *deperit* iterat; talis inconcinnitas in vss. 192, 193 non inest;

d. de puella, quae ab adulescente illo nobili amatur, vss. 192, 193 minus breviter agunt quam vs. 132, 133.

Quod si reputaveris, de adulescente pluribus verbis hic agi quam vs. 190 sq., de puella autem paucioribus, verisimile fit, eum, qui hunc hic locum addiderit, verba vs. 190 sq. ad contextum verborum Syrae accommodasse. In soliloquio suo enim Syra de puella satis fuse loquitur, ut in vs. 131, 132 brevis memoratio sufficeret. De adulescente contra in hoc soliloquio non agitur.

Eodem ducit, quod vox *projecticiam* vs. 131 vitatur; jam paullo ante puella olim projecta fuisse dictum est (vs. 124).

Si autem locus non casu aliquo in soliloquium Syrae pervenit, sed certo consilio insertus est, restat, ut quaeramus a quo et quam ob causam. Hunc poetam, qui Plautina in pejus reformavit — quid enim versu 132 elumbius esse potest, quid durius sonare quam illud *deperit* in duobus versibus bis positum? — justa premit oblivio. Eum Plauto fuisse recentiorem et res ipsa fert et vox *modo* pro *dudum* posita commendat.

De genere tamen hominis conjecturam facere licet: histrioni, qui ut soliloquium Auxilii omittere posset, breviter intelligendo argumento necessaria huc addiderit, haec omnia bene conveniunt.

Et re vera non sine quadam veri similitudine suspicatus sis, multorum Romanorum judicio soliloquia Syrae et Auxilii nimium narrationis, actionis parum habuisse. Sunt enim arti Terentianae [1]), cujus auctoritas jam brevi post ejus mortem multum valuit, prorsus adversa. Itaque consentaneum est, si sine contextus damno tolli potuerunt, histriones, qui Cistellariam post Plautum rursus in scenam reducerent, operam dedisse, ut eam fabulae partem breviorem facerent.

Neque perspicuitas flagitat, ut exponatur, qui pater Selenii fuerit, quae mater, cur et quomodo sit projecta; ipsa fabula enim expedit, praesertim spectatoribus talium argumentorum satis peritis. Omnes, opinor, intellexerunt etiam re non diserte exposita, Lampadionem servum (vs. 381 sqq., vs. 536 sqq.) illam, quae olim projecta esset, quaerere. Patrem autem filium adigere, ut cognatam uxorem ducat, jam e vs. 99 sqq. apparuit:

ei nunc ália ducendást domum
Súa cognata Lemniensis, quae habitat
hic in prox̆umo
Nam eúm pater ejus subegit.

Praeterea extrema pars soliloquii Auxilii ad certa Romani imperii tempora respicit. Finito bello Punico adhortatio

vincite et quae sequuntur .....
Ut vóbis victi Poeni poenas sufferant.

incongrua facta erat.

Iis omnibus igitur perpensatis non dubito vs. 125 et vss. 130—132 interpolatori alicui attribuere, qui eos addiderit ad usus scenicos, ut soliloquium Auxilii omittere posset.

§ 14. *β.* De ea re hodie non jam dubitare videntur, duos Poenuli exitus ad diversas recensiones pertinentes

---

1) Vide sc. 1 Act. I Andriae cum annotatione Donati in hunc locum.

conjuncte esse traditos, quorum tamen neuter totus Plautinus sit, neuter totus spurius. Itaque testimonio esse possunt, histriones ipsa Plautina libenter in usus suos convertisse. (Conf. Langeni Plaut. Stud. pag. 344 sqq.). Propter celerem autem diverbiorum incessum magnamque ad finem festinationem veri simile est, exitus suppositicios breviores esse illo, quem ipse Plautus olim conscripsit. Quo magis, si etiam alia recensionis brevioris vestigia in textu tradito inveniuntur, parati sumus ut iis ad verum inveniendum ducamur.

Finis sc. 3 Act. V Poenuli tres recensiones commixtas habere videtur: unam, quae Hannonem Agorastoclemque adventum Adelphasii atque Anterastylidis eodem, quo sunt, loco exspectare facit (vs. 1173 . . . nos hasce hic praestolabimur), duas, quae fingunt his illos obviam ire, et ita quidem, ut altera Hannonem (vs 1162 Quid si eamus illis obviam), altera Agorastoclem ejus rei auctorem esse fingat (vs 1160 Nunc patrue, si vis tuas videre filias ....me séquére).

Versus, qui ad primam recensionem pertinent, contextum in fabula, quae nobis est tradita, interrumpentes ab Ussingio seclusi sunt: (1169—1173 sqq.)

Mi. Opíno[r] hercle hodie quod ego dixi per jocum,
Id éventurum esse et severum et serium,
Ut haec ínveniantur hodie esse hujus filiae
Aq. Pol istúc quidem jam certumst: tu istos, Milphio,
Abdúce intro: nos hasce hic praestolabimur

In iis notabile est, Agorastoclem statim postquam Milphionem servos Hannonis intro abducere jussit, addere, se cum Hannone ibidem adventum Adelphasii Anterastylidisque exspectaturum esse. Haec verba non possunt, quin novae scenae, qua duae illae Hannonis filiae inducerentur (V, 5), spectatores praeparaverint: eos versus in fine igitur scenae 3 positos fuisse, necesse est. Cum autem ἐν τῇ παραδόσει post eum locum, ubi Agorastocles Milphionem cum servis Hannonis abscedere jubet (1148 sqq.), adhuc quaedam sequantur ante scenae exitum, hi, de quibus agimus, versus ad recensionem breviorem videntur pertinere.

Versus 1169—1171 (opino — hujus filiae) Milphioni servandi sunt: respiciunt enim ad vs. 1100 sqq., ubi servus callidus Hannoni imperaverat, ad perdendum lenonem ut simularet, duas illas sorores, lenonis servas, ingenuas esse, sibi olim Carthagine adhuc parvolas surruptas.

Qui autem locus iis designandus est? Post vs. 1136 positi, quippe ubi Giddeninis diserte dicat, duas sorores Hannonis esse filias, incongrui forent. Neque inter vs. 1126 et 1127 eos collocaverim, quod nimia sagacitas Milphioni tribuatur, si antequam Giddeninis aperuit Hannonem suum erum esse, jam praevidisse putetur, Adelphasium atque Anterastylidem Hannonis filias esse. Ante vs. 1135 collocati fuisse nequeunt, quod verba Milphionis

Pol satis scio, impetrarunt

referuntur ad Giddeninis:

Orátum ierunt deam ut sibi esset propitia.

Ergo statim post vs. 1135 olim locum habuerunt. Itaque in recensione breviore sc. 3 exitus hic erat:

Gi. Aphrodísia hodie Veneris est festus dies:
Orátum ierunt deam, ut sibi esset propitia
Mi. Pol sátis scio impetrarunt, quando hic hic adest.
Opíno hercle hodie quod ego dixi per jocum,

Id éventurum esse et severum et serium,
Ut haec ínveniantur hodie esse hujus filiae.
<Ag.> Pol istuc quidem jam certumst, tu istos, Milphio,
Abdúce intro: nos hasce híc praestolabimur.

Nihil autem ex iis, quae sic omittebantur, ad intellegenda ea quae sequebantur necessarium erat.

Hic vero quaestio oritur, num vs. 1169—1171 ab histrionibus, qui sibi recensionem breviorem fecerint, una opera sint confecti. Quod ut negem vel ideo inclinatus sum, quia intelligi nequit, cur hanc operam suis usibus prorsus inutilem dedissent; nam nihil in iis est, quod sine contextus damno desiderari nequit. Praeterea illud *'severum et serium'* colorem cum antiquum habet tum Plautinum. Atque etiam aptissime quadrant inter vs. 1135 et 1136, ut verba Agorastoclis

Eho, an hújus sunt illaec filiae?

quae in textu tradito non sine quadam duritia posita sunt post verba Milphionis in vs. 1135, ad vs. 1171

Ut haec ínveniantur hodie esse hujus filiae

respiciant. Agorastocles, qui rem nondum perspexerat, verbis Milphionis motus non sine quadam admiratione rogat, num puella, quam amat, ejusque soror filiae sint Hannonis. Totum hunc locum sic ordinatum Plauto vindicandum esse censeo:

Gi. Aphrodísia hodie Veneris est festus dies
Orátum ierunt deam, ut sibi esset propitia.
Mi. Pol sátis scio impetrarunt, quando hic hic adest
Opíno hercle hodie quod ego dixi per jocum,

Id éventurum esse et severum et serium,
Ut haec ínveniantur hodie esse hujus filiae.
Ag. Eho an hújus sunt illaec filiae? Gi. Ita, ut praedicas.
Tua píetas sqq.

Ut explicetur, quo modo in eum quem hodie occupant locum pervenerint opus est conjectu, histriones ut indicarent locum omittendum esse, versus qui ei proximi praecederent, post eum in margine ascripsisse et cum sequentibus quam minima opera connexisse.

§ 15. γ. Haec conjectura non plane cum eo congruit, quod in libris manuscriptis adhuc exstare indicium breviorum recensionum Leo putavit. Hic in Poenulo enim versus, qui ante locum in agenda fabula omittendum proximi praecedunt, *post* eum iterantur; at si rata esset Leonis opinio, ratio fuisset, ut versus qui eum locum proximi sequebantur, *ante* eum iterarentur. Quanquam res non gravis est et utraque ratio adhibita esse potest.

Hujus autem rei, quam Leo pro indicio recensionum breviorum habuit, pauca exempla notabiliora afferam.

Bacchides fabula longissima est. Quamobrem non admodum improbabile, in ea, cum post Plauti mortem rursus in scenam ageretur, hic illic quaedam in brevius esse redacta. Id optime ii loci admittebant, qui ad processum argumenti minus pertinentes, in enarrandis depingendis singulis rebus versantur, velut quibus mores mutati describuntur, meretricum avaritia proponitur, vis fortunae extollitur, talia. Nos quidem legentes tales loci imprimis delectant, sed num itidem spectatores, cum fabula ageretur, id admodum dubium est.

1. Bacch. vs. 73 ante vs. 65 iteratur, ita locum circumcludens, qui lepida comparatione cum strenua in palaestris vita describit, quo modo apud meretrices viva-

tur. Hujus loci totius, Graecam indolem habentis, concinnitas fortasse spectatores Romanos praeteribat. Argumenti perspicuitati certe non necessarius erat.

2. Bacch. aut versus 403 pars posterior aut versus 393 abundat. Illam Leo putat olim, cum in margine ascripta esset, partem genuinam vs. 393 expulisse. Locus his terminis circumscriptus profecto argumento non est necessarius: nam omnia, quae sequuntur, satis intelligi possunt, etiam si abest locus, quo Mnesilochus se ipse exhortatur, ne in se ingrati animi noxam admittat.

3. Mostell. vs. 845 et 846/47 ante vs. 817 repetiti sunt. Loco autem qui vss. 817—844 continetur, Theopropides Tranione duce aedes Simonis ab exteriore parte inspectat. Totus locus sane lepidus est, sed magnam in agendo artem subtilitatemque flagitat. Praeterea comparatio Tranionis, qua senes cum volturiis, se cum cornice, quae eos volturios vellicat, confert, fortasse majori spectatorum parti nimis subtilis erat, sicut Plautus jocos rudiores, sensum hebetiorem tanquam titillantes, adhibere solet.

δ. Confer quae Cap. III exposui de Pseud. 385 sqq.

Iis igitur quae supra disputavi perpensatis concluserim: negari non posse, histriones nonnunquam e fabulis Plautinis quaedam omisisse; ejus rei vestigia adhuc etsi fere latentia in textu Plautino, quem hodie habemus, superesse. Fortasse id ejusdam rei indicium recte haberi, si versus paullo ante suum locum iterentur: at si quis aliter sentire malit, eum redargui non posse. Leonem, virum clarissimum, igitur nimium sibi sumpsisse cum eam rem pro certa statueret.

Ex hac de interpolationibus histrionum disquisitione duo efficiuntur:

I. histriones quam minima opera damnum, quod connexus omissione acceperat, reparavisse;

II. eos in eum finem ipsa verba Plautina paullulum mutata adhibuisse.

§ 16. Possunt etiam aliae causae fuisse, quibus homines posterioris aetatis moverentur, ut in fabulis Plautinis quaedam mutarent, et fuerunt prefecto si rata est doctorum opinio de frequentibus in libris Plautinis interpolationibus.

Et re vera Fr. Bücheler, in ipso textu Plautino, ut nobis traditus est, vestigia sibi invenisse videtur, unde efficere liceat certo tempore post Plautum fuisse qui conarentur locos quosdam ad recentiorum judicium elegantius reformare. In dissertatione lectu dignissima E. Nordeni (Rh. Mus. XLIX pag. 194 sqq.) memoratur ea sententia Bücheleri nondum scripto mandata sed cum discipulis tantum in scholis academicis communicata [1]: multas dittographias ad studium quoddam esse referendas tollendorum locorum obscoenorum, quibus posterior aetas pudore atque odio commoveretur.

Unum tantum exemplum Nordenus affert: Pseud. 218—224, dittogr. ad 210—217.

vs. 210 sqq. Xúthilis, face ut animum advortas, quoius amatores olivi
Dýnamin domi habent maximam:
Sí mihi non jam huc culleis
'Oleum deportatum erit,
Te ípsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.
'Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu hau somnum capias, sed ubi
'Usque ad languorem —: tenes,
Quó se haec tendant, quae loquor.

---

[1]) Fallitur Nordenus: Bücheler hanc suam sententiam de uno quidem loco publici juris fecit in disputatione de vs. 280 sqq. Truculenti, inserta in Ann. Fleckeiseni CV, pag. 571; confer paullo infra.

218 sqq.
Ain, éxcetra tu, quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos[1]),
Num quoípiamst hodie tua tuorum opera conservorum
Nítidiusculum caput? aut num ipse ego pulmento utor magis
Únctiusculo? Sed scio, tu | oleum hau magni pendis: vino
Té deungis. sine modo:
Réprehendam ego cuncta hercle una opera, nisi quidem tu hodie omnia
Fácis effecta haec ut loquor.

Ego duo addam, quae huc pertinent:

Bacch. 486—488, dittogr. ad 481—483

486 sqq. Quíd opust verbis? Si opperiri vellem paulisper modo.
'Ut opino[r] illius inspectandi mi esset major copia:
Plús viderem quam deceret, quam me atque illo aequom foret.

481 sqq. Nám alia memorare quae illum facere vidi dispudet,
Quóm manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi,
Mé praesente neque pudere quicquam — quid verbis opust.

Truc. 280—295, dittographiam ad locum in praecedentibus, cujus fines non accurate statui possunt; causa addendi fuerunt vs. 276 sqq.

Ast. Ne áttigas me. Str. Egon te tangam? ita me amabit sarculum,
Út ego me ruri amplexari mavelim patulam bovem

---

1) Hujus versus ictus ab ed. G. et Sch. mutavi, ubi octonarius trochaicus exhibetur; sed mihi videtur in *excetra* percutiendum esse. Ita ictus versus et sententiae magis conveniunt.

Cúmque ea noctem in stramentis pernoctare perpetim.
Quám tuas centum cenatas noctes mihi dono dari.

vs. 280 sqq.

(Str.) Rús tu mi opprobas: ut nancta's hominem quem pudeat probri.
Séd quid apud nostras negoti, mulier, est aedis tibi?
Quid tu hoc occursas, in urbem quotienscunque advenimus?
Ast. Múlieres volo convenire vostras. Str. Quas tu mulieres
Míhi narras, ubi musca nulla feminast in aedibus?
Ast. Núllan istic mulier habitat? Str. Rus abierunt, inquam, abi,
Ast. Qúid clamas, insane? Str. Abire hinc ni properas grandi gradu,
Iam hércle ego istos fictos compositos crispos cincinnos tuos
'Unguentatos usque ex cerebro exvellam. Ast. Quanam gratia?
Str. Quía ad foris nostras unguentis uncta's ausa accedere
Quíaque bucculas tam belle purporissatas habes.
Ast. Érubui, mecastor misera propter clamorem tuom.
Str. 'Itane? erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Túo potestatem coloris ulli capiendi, mala.
Búccas rubrica, creta omne corpus intinxti tibi.
Péssumae estis Ast. Quid est quod vobis pessumae haec malefecerunt.

Pseud. 218—224 seclusit iam Guyetus, Bacch. 486—488 Ussingius, Truc. 280—295 Büchelerus, quibus de duobus locis extremis Götzius et Schöllius in ed. adstipulati sunt.

§ 17. Conjecturae autem Bücheleri non admodum favent, quae ceterum de moribus Romanorum nota sunt. Nulla sunt indicia, mores Romuli gentis per spatium sex aetatum in fastidium dictorum immundorum esse excultos, ut qua Plauti aequales delectabantur spurcitia, Ciceronis offenderentur. Nam post Horatium Plautus jam oblivione jacebat. Sed inde a Plauto ad Horatium, quod quidem videre possimus, Romanae plebis ingenium non multum mutatum est, licet antiquam vestem deposuisset et aliam Graecorum similem sibi sumpsisset. Quae in Plauto offendit cruditas, eadem offendit non raro in Horatio, nisi ubi plane Alexandrinos aut lyricorum Graecorum suavitatem imitetur.

Cuinam tempori illos mores mansuetos puros, sive potius dicendum est elegantes, fastidiosos, assignemus? Inde a Gracchis usque ad Horatium discordia civili omnia sollicitabantur, ea aetas tumultu et civium caede exercita morum ferocitati augendae potius apta fuit. In spatio igitur, quod intra pugnam ad Pydnam commissam et aetatem Gracchorum intercessit, morum illa emollitio collocari debet, cum et divitiae et effeminatio Orientis Romam penetrarent, Graeci mores, Graecus sermo Latinorum aemuli fierent. Sed superiores tantummodo populi ordines invaserant, qui alios magis quam Plautum poetas fovebant. Populus, opinor, qui Plauto delectabatur, tanta elegantia aut fastidio non erat.

Horatius de Plauto acre judicium tulit, sed socordiam, non licentiam ei objicit.

Ipse Terentius, qui elegantiorum civium, graecissantium, gratia florebat, in hac re a Plauto non multum diversus est. Conf. Heaut. Tim. 561 sqq.

Ch. Quíd istic quaeso? qui istic mos est,
Clitipho, itane fieri oportet?

Cl. Quíd ego feci? Ch. Vidin ego te modo
manum in sinum huic meretrici
'Ingerere? Sy. Acta haec res est: perii.
Cl. Mene? Ch. His oculis, ne nega.
Facis ádeo indignam injuriam illi, qui
non abstineas manum.
Nam istaéc quidem contumeliast,
Hóminem amicum recipere ad te atque
ejus amicam subigitare.

Praeterea, quid opus erat totos novos locos conscribere? Versibus in quibus offensio inesset sublatis, lacuna quam optime expleta, pudori satis fieri potui. Cur histriones hic rem aliter instituerent quam in iis, de quibus supra disputavi, locis?

Quicunque scire volet, quomodo tales res hodie tractent, Anglam editionem fabulae alicujus Shakespearii, ad scholarum usus accommodatae, inspiciat et videbit, quam levem castitatis tutores operam in talibus rebus insumere soleant.

Importunum admodum accidit, quod duobus locis Pseudoli, vs. 781 sqq., 1180 sqq., multo inverecundioribus, talis casti additamenti nec vola nec vestigium apparet Conf. Hilberg. Ztschr. f. Oesterr. Gymn. XXVIII pag. 38.

Et omnino prae numero locorum Plautinorum, quorum spurcitie hodie offendimur, parum stabilita videtur Bücheleri conjectura, etiamsi ii, quos supra attuli, loci jure in ejus patrocinium afferi possent. Conf. Merc 203 sqq.; Mil. Glor. 1396 sqq.; Cas. 454 sqq., 910 sqq.; Pers. 284 sqq., 846 sqq.

Verum me quidem auctore, etiam locis supra allatis injuria dittographiam statuere voluerunt. Et primum de loco Truculenti ut sententiam meam declarem, vel hoc Bücheleri sententiae minime favet quod in statuendis finibus emblematis discrepantia est inter ipsum et Götzium in ed. maj. [1]).

[1]) In ed. min. Büchelero rursus astipulatur; sed quod ambigi poterat, id eorum rationi statuendae interpolationis jam satis adversum est.

Porro argumenta, quibus Bücheler iique qui ejus sententiam amplexi sunt, eam tutantur, sunt levissima. Quod enim Stratulax saepius rogat (vs. 258, 261, 281), quidnam negoti Astaphium apud suas aedes habeat, id valde congruum est — siquidem rogando id, quod Astaphium satis explicare non vult, eam apte turbare potest. Prorsus fallitur, qui tale quid adhibeat ad comprobandam dittographiam.

Deinde est argumentum Götzii in ed. maj., verba Stratulacis (284):

◡◡ — — ◡◡ ubi músca nulla féminast in aedibus pugnare cum vs. 694, unde effici possit, sane matrem Strabacis illo tempore domi fuisse. Vera sunt, quae Götzius affert, sed conclusio nimis severa. In talibus minutiis, ut Aristophanem, ita poetas novae comoediae hic illic peccasse censeo. Sed praeterea tales dictiones cum grano salis sunt accipiendae. Stratulax incongruitatem ejus rei, quam Astaphium praetenderat, demonstrare vult: inde in ejus verbis illa superlatio; etiam ejus verba tantum ad mulieres, quas se visere Astaphium dixit, pertinere possunt, ut de era omnino non cogitetur.

In alio argumento Büchelerus adeo infelicior est (in diss. laudata pag. 69, not.):

„Nam illic Stratulax reapse rus merum est, hic adeo urbanus ut in capillis unguentisque cogitatio et cura ejus haereat, illic violentissimus et probissimus servus, *hic inter minas nescio quid mollius consulens* [1]) monitor et corrector."

Quae quidem postrema sententiae pars continet, non video in ipsis versibus Plautinis testimonium pro ea inesse. Reliqua vero ut speciem veritatis habent, ita re et falsa sunt et subtilia talia, qualia praestantissimi viri prae nimia sagacitate et nimia cogitatione simplicia et aperta negligentes nonnunquam excogitant. Quicunque enim facultatem habuit eorum, qui ruri vivunt opinionis cognoscendae de moribus cultioribus, scit nusquam magis eorum judicium cerni, dicacitatem excitari quam in iis illudendis, quae moribus luxuriosis atque mollibus ferantur. Res inusitata oculos advertit, acutiora efficit ingenia.

[1]) Litteris proclinatis exprimenda ego curavi.

Sed etiamsi vera essent, quae Büchelerus dicit, inde non argumentum contra hunc locum petendum erat. Nam in veterum comoediis personae nonnunquam suas partes tanquam deponunt et quasi praecones existunt poetae. Neque loci desunt, ubi verba loquentis ab ejus persona omnino aliena sint, sed aliquam pulchram sententiam aut de aliqua re ipsius poetae opinionem exhibeant. In re nota unum exemplum luculentissimum affero Pseud. vs. 675—686.

Neque solum argumenta, quae pro interpolationis conjectura afferuntur, sunt levissima; sunt etiam quae eam manifesto redarguant. In insequentibus versus sunt, qui ad hunc locum, quem interpolatum esse volunt, respiciant:

Vs. 296 Str. Scío ego plus quam tu arbitrare scire me

quo aperte Stratulax causam affert, cur Astaphium ejusque eram pessumas dixerit (295), quod nimirum erilem filium corrumpant (conf. 297, 298).

Vs. 280 autem ‚rus tu mi opprobras' verbis Astaphii (vs. 267) ‚Rus merum hoc quidemst' respondet. Quod id responsum non statim dat, facile est explicatu. Ubi homines commotiores fiunt, quaecumque prima in mentem veniunt profundunt, omnem ordinem negligunt. Stratulax verborum Astaphii aliis menti oborientibus jam oblitus ipsa sua comparatione eorum in memoriam rediit.

Totus locus vero, in quo identidem ad artem ornandi fucandique corporis respicitur, indolem Graecam ostendit. Confer fragmentum nobilissimum *Ἰσοστάσιον* Alexidis (Ath. XIV 568 a sqq). Cunctis his rationibus ductus nego hunc quidem locum Truculenti ab histrionibus interpolatum esse.

§ 18. De Pseud. 217—224 Nordenus sententiam Guyeti l.l. amplexus accuratius argumentis tutatus est.

Argumentorum, quae adhibet, duo genera sunt, alterum ad linguam sermonisque proprietatem, alterum ad concinnitatem pertinens. Hoc quidem ut semper infirmum ita in Plauto maxime suspicionem subtilitatis et argutiarum movet.

Prioris generis duo sunt argumenta.

1°. Nordenus usum vocis *magis* comparativo adjunctae accuratius tractat demonstratque eam vocem in Plautino quidem sermone non, ut credi solet, omnino abundare. Ita enim Plautum eam adhibere, ut tanquam vicarius sit comparativi et ejus notionem aut repetens aut anticipans in aliam sententiae partem transferat [1]; e. g.

Aul. 422 ita fústibus sum móllior magis
quam úllus cináedus

Capt. 643 He. cérton? Ar. quin nihil, inquam,
invenies magis hoc certo certius·

Hanc ejus significationem inde apparere, quod sibi semper substantivum aut aliud nomen ablativo (sive vox *quam* cum alio casu ejus vicem obtinet) applicatum habet. Hic vero *magis* ex omni parte abundanter comparativo *unctiusculo* 1220, 221) esse additum.

2°. Verborum collocatio in vs. 219

Num quóipiamst hodie tua tuorum opera
conservorum

intricatior est quam in Plautino sermone ferri potest.

Ad argumentum prius respondeo et propter sententiam et propter collocationem in eodem versu *magis* pertinere ad verbum *utor: num magis utor tua opera pulmento unctiusculo?;*

ad alterum: saepe apud nostrum voce interposita duas arte inter se conjunctas separari; Aul. 78 meum laqueo

[1]) In diss. supra laud. pag. 199:
„.... dass *magis* neben dem Comparativ seinen vollen Werth behält, indem es die comparativische Idee auf einen neuen Begriff weiterleitet ...."

collum; Mil. 862 ne díxeritis obsecro huic vostram fidem; ib 960. Éjus hunc mi anulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit. Conf. Langen. Plaut. Stud. pag. 12, cui haec exempla debeo. Praeterea Plautus ejusdem pronominis duas formas diversas inter se apponere amat; conf. *huncine hic* vs. 201 — cujus usus in voce *hic* Brixius Ann. Fleck. CXV, pag. 331 magnam exemplorum copiam congessit — de pron. pers. conf. Pseud. 590 *meis med*, 937 *tu tibi* Rud. 743 *mearum me*; Aul. 744 *meam me invito* [1]).

Quae praeterea affert, hisce breviter concludi possunt:

1°. Locum concinnitatem orationis lenonis turbare; hunc enim sex versibus primam meretricem alloqui, item secundam, quinque quartam, undecim autem minimum (211—213, 216—217, 222—224 pro singulis versibus numeratis) tertiam;

2°. poenam, qua leno vs. 218—224 minetur, levem esse prae ea, quam vs. 214—217 intendat;

3°. mentionem servorum hinc alienam esse; lenonem de suis tantum commodis loqui et cogitare;

4°. vs. 218 –́ ⏑ ⏑ – – quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos non sine languore vs. 210

quoius amatores olivi
Dýnamin domi habent maxumam

repetere.

Ordine de singulis agam:

1°. Nordenus supersedit demonstrare Plauti constantem rationem in talibus locis, ut concinne compositi sint, flagitare. In oratione autem ad servos quae praecedit, leno duos singulis versibus alloquitur, duos dimidiatis, in eo autem, qui solus ei quid respondere audet, tres versus insumit. Neque magis in cantico Ampeliscae et Palaestrae

[1]) Et ommino Plautus alliterationis captator est; conf. Lorenz. in ed., Intr. V, 1—8, pag. 36 sqq.; Kiessling Rh. Mus. XXIII, pag. 412.

(Rud. 220 sqq.) pari longitudine partes utrique datae inter se respondent.

Sed praeterea cur in oratiunculis ad singulas mulieres spatii aequabilitas quaedam posita esse debet? Si ego dicam magna concinnitate usum esse poëtam, quod versibus longioribus incipiat, medium obtineant versus breviores et concitatiores, denuo versus longiores in fine sint positi, quid Nordenus objiciat?

2°. Versibus 218—224 leno non (quod Nordenus dicit) leviorem quam antea poenam minatur, sed tantum ejus, quam minatus erat, meretrices denuo commonefacit. Dicit enim vs. 223 se cuncta una opera reprehensurum; quo quidem modo, ante jam dixerat.

3°. Num lenoni perinde est, oleumne servis suis sine suo sumptu comparetur?

4°. Satis est referre ad Caput I libri Langeni, ubi magna copia talium iterationum congesta est.

Quodsi hic locus posteriori recensioni tribuendus est, intellegi nequit, cur hoc uno loco nomen meretricis non additum sit. Id enim interpolatorem vix fugisse potest, lenonem nominatim meretricem quamque alloqui.

Illud *ain tu* quod in responsis usurpatur, sive quid audacter objectum est sive id tantum fingitur, suspicionem movet, lenonem aliquo Xuthilis gestu aut toto ejus habitu commotus tanta ira incendi. Similem in modum novo ac repentino impetu in servos invehitur, vs. 151 sqq.

§ 19. De loco Bacchidum quoque a viris doctis dissentio. Longae disputationi parcere possum, si a lectione, quam in ed. maj. Götzius dedit proficiscor. Vs. 480 sqq. sic exhibet:

Nám alia memorare quae illum facere vidi dispudet:
Quóm manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bachidi,
Mé praesente neque pudere quicquam: (quid verbis opust?

Míhi discipulus, tibi sodalis periit, hüic filius [1]);
Nám ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor.)
Qúid opust verbis? Si opperiri vellem paulisper modo,
Út opino[r] illius inspectandi mi esset major copia [2]),
Plús viderem quam deceret, quam me atque illo aequum foret.

De vs. 483 autem additur judicium Ritschelii: ‚Quid verbis opust huc irrepsisse e vs. 486 videntur atque aliud quid loco movisse, velut neque pudere quicquam factis prodidit.' Quam opinionem ceterum amplexus verba ‚quid verbis opust' non ex 486 irrepsisse sed inde addita esse puto. Huc confero Bacch. 393. in quem versum similiter e vs. 403 ‚sed eccum video incedere' illata sunt. Utroque loco res ex aliqua histrionum omissione explicatur. Itaque nostrum locum sic legendum propono:

Nám alia memorare quae illum facere vidi dispudet:
Quóm manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi,
Mé praesente neque pudere quicquam (quid verbis opust)
Qúid opust verbis? Si opperiri vellem paulisper modo,
Út opino[r] illius inspectandi mi esset major copia
Plús viderem quam deceret, quam me atque illo aequom foret.
Míhi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius,

[1]) *Huic suos filius* G. in ed. maj., quod in minore recte rejecit.
[2]) Emendavit Spengelius.

Nám ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor.

Pistoclerum pudorem perdidisse non eo apparere Lydus dicit, quod ipsius praesentia non majore verecundia eum commoveat, sed quod talia pudenda facta, et id quidem paedagogo praesente ausùs sit. Verba mihi discipulus sqq. igitur suum locum obtinebunt, si post eos versus collocata erunt, in quibus Lydus ad illud, quod etiam inverecundius [1]) quam quae vs. 482, 483 memorantur, fuisset, alludit.

Non desunt indicia in constituendo textu Bacchidum grammaticos olim etiam exemplar decurtatum adhibuisse, in quo plures argumento non prorsus necessarii loci omissi fuerint.

De duobus locis in praecedentibus jam disputavi: 393—403, 69—73; hunc locum tertium addo; deinde etiam vs. 937—940, qui in A deficiunt. Certum locorum numerum, quas habent Pal., non habet A, olim non in textu sed in margine codicum, e quibus libri nostri fluxerunt, collocatum fuisse, veri simile puto, et quia sic explicatur, cur in alteram tantum librorum familiam recepti sint et maxime propter Cist. 120 sqq. de quibus infra dicturus sum.

Tales versus in margine scripti facile in textum alienum locum occupare poterant: quod factum in vs. 498, aut ego fallor:

Qui dedecorat te me amicos atque alios flagitiis suis.

Versus corruptus est, sed ita, ut facile sanari possit; locus enim quem vox *atque* occupat, indicio est, eam olim versui suprascriptam fuisse in hunc modum:

atq:
amicos alios; si importunum glossema (Curc. 351, Most. 523, Poen. 1116) deleverimus, omnia recte procedent.

Qúi dedecorat te, me, amicos alios flagitiis suis.

---

[1]) Loci paralleli igitur uterque pari inverecundia scripti forent.

Verba ipsa tanquam loquuntur, ex indignantis Lydi ore se profundi (habemus enim absolutum parallelismum cum vs. 484); itaque versum post vs. 496 transponendum censeo. —

Itaque ut ad propositum redeam, hic quoque nulla causa est, cur dittographiam statuamus. Conjectura Bücheleri, etsi a viro et de Plauto et omnino de Latinis litteris praeclare merito profecta, per se parum verisimilis neque firmo fundamento niti videtur. Itaque utrumque locum genuinum esse mihi persuasum est.

§ 20. Ut in iis, de quibus supra disputavi, ita in multis aliis locis viri docti partum prudenter in statuendis dittographiis versati sunt. (Conf. e. g. Mil. Glor. 189*a*—192, Amph. 479—485, Rud. 1193—1196 in ed. min. G. et S.).

Sed in universum isti de interpolationibus rationi hoc imprimis obstat, quod nullo modo explicari potest et quo modo tot interpolationes in textum Plautum pervenerint, sed multo magis etiam qua ratione in eo remanserint per tempora et Varronis et Gellii. Quod enim fingunt, tantum exemplaria, histrionum mutationibus jam maculata, ad constituendum textum Plautinum adhibita esse, id nemo ullo unquam argumento stabilivit, et quanquam, ut in re tam longe a nobis remota, non diserte potest redargui [1]), tamen omni veri similitudine caret. Nam iis, qui id tutari volunt, altera praeterea opus est hypothesi: per vitam Plauti proximaque post ejus mortem tempora fabulas in histrionum scriniis latere esse soli-

---

[1]) Disertum testimonium contra hanc rationem haberemus, si rata esset opinio Leonis, Terentium hic illic Plautum imitari censentis. Quod ut comprobet, laudat: (Pl. Forsch. 31 not. 2) Ad. 35 sqq. = Mil. Glor. 720 sqq.; Heaut. Tim. 86, 110, 236, 642 = Pseud. 19, Merc. 62, Bacch. 679, Men. 580. Primo loco excepto similitudines efficiuntur ejusmodi verborum copulationibus, quas aut certo ordine atque conjunctione usitatas fuisse veri simile sit, aut casu quodam similes apud utrumque poetam esse adhibitas. Hujusmodi est *amori operam dare* (Heaut. Tim. 110, Merc. 62), ad alterum genus pertinent *animus praesagit mali* (Heaut. Tim. 236, Bacch. 679), *neque jus neque bonum* atque *aequom* (Heaut. Tim. 642) = *neque leges neque aequom bonum* (Men 578), *aut consolando aut consilio aut re* (Heaut. Tim. 86) = *aut re aut opera aut consilio bono* (Pseud 19). Sed

tas [1]). Quod quomodo comprobent, non habent. Multo veri similius est fabulas, quae quidem essent probatae, et identidem per certum temporis spatium actas esse et, ut legerentur, descriptas et vulgatas. Velut Gellius nobis narrat (N. A. III, 3, 11 sqq.) Plautum fabulas Naevii et aliorum in usum suum convertisse; quo demonstratur eas fabulas non fuisse reconditas. Et ille locus Suetonii (De Gramm. 2), unde etiam sibi videntur efficere posse, quo tempore fabulae Plautinae editae sint, nihil porro docet quam hoc: auctore Cratete scripta nonnulla, quorum tantum ἐκδόσεις exstarent, tunc justis διορθώσεσιν esse divulgatas, et omnino Cratetem ad imitationem grammaticorum rhetorumque Graecorum Romanos instigasse. Quod talem rem tentare potuit, vel id ipsum documento esse debet, Romanos eo tempore multo eruditiores et litterarum studiosiores fuisse, quam qui fabulas Plautinas incuriosi ignotas latere paterentur.

Postremo, quod supra demonstravi, aliquot locis juxta breviorem histrionum recensionem verba pleniora ipsius Plauti nobis tradita sut.

Tota ista ratio, ni fallor, inventa est, ut explicaretur, quomodo Plautinae fabulae tam multifariam interpolatae essent, sed prius puto hoc nova inquisitione egere, num re vera interpolatio tam late in iis pateat.

---

praeterea poetae paene aequales alter alterius non verba aut verborum complexiones imitantur: talis imitatio est eorum, qui sermonem suis temporibus vetustiorem usurpant et ea, quae jam mortua sunt, in vitam revocant; cujus modi fuerunt ii, qui non sui temporis sed Atticorum linguam sequentes Atticistae dicti sunt, et apud Romanos ii, quos Archaicos hodie vocare solemus.

Neque Mil. Glor. locus cum Ad. 37 collatus multum valet. Vel hodie parentes nimis curiosi, ut liberis mali quid acciderit, metuunt; ne in natando vitam perdiderint, aut per glaciem soleis ferreis labentes sint immersi vel tale quid. Similiter ad metum proclives erant parentes antiqui sed metuebant talia, qualia suis temporibus moribusque accommodata erant, scilicet ne filiis in palaestris nescioquid evenisset, ne in equitando cecidissent et alia hujusmodi. Quod pater igitur metuere, ne filio in equitando quid acciderit, et apud Plautum et apud Terentium fingitur, id nihil miri habet.

[1]) Conf, Leo. Plaut. Forsch. pag. 27.

Pars Secunda.

De Pseudolo contaminata.

Quae cónvenere in Andriam ex Perinthia,
Fatétur transtulisse atque usum pro suis.
Id istí vituperant factum atque in eo disputant,
Contáminari non decere fabulas.
Faciúntne intellegendo, ut nil intellegant?
Qui quom húnc accusant, Naevium, Plautum, Ennium
Accúsant quos hic noster auctores habet.

Ter. Prol. Andr. vs. 13—19.

§ 21. Argumentum Pseudoli duas partes continet: abductionem Phoenicii a lenone et comparationem viginti minarum a Simone, ita inter se conjunctas, ut Phoenicio abducta etiam argenti comparatio perfecta sit. Promisso enim Simonis, se viginti minas ultro daturum, si Pseudolus Phoenicium per dolum abduxerit, duae argumenti partes in unum connectuntur. Itaque specie quidem haec fabula, etsi paullo complexior sit, argumentum totum atque rotundum habet. Sed si paullo accuratius in rem inquisiveris, concinna forma paullatim vanescit, solidum corpus dissolvitur, cum tandem varia membra remanent, admodum laxe inter se copulata.

Primo quaeri potest, utra sit pars primaria, abductione Phoenicii an frustratio Simonis. Dixeris forsitan

abductionem Phoenicii huic esse subjunctam, quippe tanquam instrumentum, quo pecunia comparetur, adhiberi. Huic sententiae conveniens est, spectatores prima scena in exspectationem adduci, fore ut Pseudolum Calidoro viginti minas comparet, magisque etiam hanc esse partem, quae per ultimum Actum, in quo Pseudolus promissum argentum a Simone accipit, quasi σφραγῖδα fabulae imponat. Contra ab ea abhorret, quod pars secundaria majorem in fabula locum obtineat, ut totum simile sit homini, qui longissimis et robustissimis cruribus parvum admodum tenueque corpus fulciat. Adeo inconcinnius est, personam lenonis inter omnes primariam esse factam. In fabula, cujus argumentum sit, ut supra posuimus: „callidum servum erili filio inopi a patre ad rem attento pecuniam comparare" lenonis persona locum exiguum habere debet. At in nostra fabula poeta copiose et ornate pravos mores pessimum ingenium, crudelitatem impietatem lenonis describit, denique eum nobis proponit, cui malum eventurum esse ex intimo corde speremus. Invidiam in eum etiam auget fingendo ejus diem natalem esse, quo glorians, jactantiae plenus, servos miseros omnia ad convivium, quo natalicia celebret, apparare jubeat. In eo fortunae fastigio malum infortuniumque quod in exitu fabulae ei accidit, tanto est acrius atque acerbius. Tantum operae vero in persona secundaria describenda consumptum concinnitatem aequabilitatemque turbat. Sic ille homo, quem supra finximus, in robustis et longis cruribus etiam tuber habet, immanem in modum prominens totumque corpus deformans.

Si principio autem illa lenonis frustratione fabulae argumentum continebatur, et apparebit Simonis personam aliunde esse petitam, omnia, quae nunc in figura lenonis vituperanda sunt, probabilia fiunt et ad artis rationes accommodata.

§ 22. Supra dixi primam fabulae scenam Simonis frustrationem a Pseudolo praenuntiare. Id paullo accuratius

exemplis confirmabo. Dicit Calidorus vs. 45 sqq:

Perií: salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illí remittam. Ps. Quam salutem?
Ca Argenteam

Similiter vs. 49 sq:

Ca. Recitá modo: ex tabellis jam faxo scies,
Quam súbito argento mi usus invento siet.

Conf. vs. 96 sq., vs. 104 sq, vs. 119 sq.

Ad abductionem virginis respiciunt soli vs. 112 sq:

Ps. Satin ést si hanc hodie mulierem efficio tibi
Tua aút sit aut si tibi do viginti minas?

Verum in sponsione qnae sequitur (vs. 114—118) tantum minae memorantur.

Si igitur frustratio lenonis ipsa olim fabulam effecit quam littera B (Ballio) indicabimus, comparatio argenti autem aliunde est sumpta — in ea fabula littera S (Simo) utar — hanc primam scenam, quippe quae quasi praedicat emunctionem Simonis, ad S referri necesse est.

Non minus perspicuum est et scenam secundam et tertiam, in quibus Ballio primarias partes agat, ad B referendas esse. Sic statim explicatur, cur Calidorus in tertia scena omnino venditionis Phoenicii ignarus esse videatur et cur hic altera expositio occurrat, cur denique poeta hic primae scenae nullam rationem habuerit.

Apte huc quadrat alium diem abductioni Phoenicii statui in prima scena atque in tertia (Conf. § 5 in fine). De qua re mirum est, criticum, qualis fuit Ritschelius, versu sano, per conjecturam sanato scilicet, discrepantiam tollere voluisse, magis etiam mirum alios ei adstipulatos esse [1]). Nam si in prima scena pro *cras* substituas *hodie*,

[1]) Proposuit Ritschelius: *proxuma ad Dionysia;* Useneerus mirum illud *proxuma Dionysia.* Etiam Lorenzius non perspexit hoc loco tantum illud cras quadrare; interpretatione enim ejus significationem delere tentat: „Wenn wir sagen: ‚Ostern ist der letzte Termin zur Zahlung dieser Summe,' haben wir nur das hervortretende, epochemachende Fest im Sinne und denken nicht gleich daran, dass in der That der Tag vor Ostern der letzte Zahlungstermin ist!"

totum scenae consilium absurdum fit. Non solum verba „*própe* adest exitiúm mihi" (vs. 60) et „certúmst mihi *aute tenebras* tenebras persequi" (vs. 90) sic prorsus nequeunt intelligi, verum etiam incongruum est, quod non certum spatium temporis ante Phoenicii abductionem relinquitur; qua re totum consilium comparandi argenti nititur. Si ipso illo tempore jam adesse poterat miles, alia ratio ineunda fuisset, e. g., ut Pseudolus excubias ageret ante domum lenonis, ut militem advenientem deturbaret, vel simile quid, non ejusmodi consilium capiendum, quo perfecto, Phoenicium jam abducta esse posset.

In argumento B contra, ubi Calidoro necopinanti repente Ballio nuntiat, Phoenicium jam veniisse, emptorem jamjam adventurum, subitum illud, quod in illo *hodie* inest, optime convenit.

§ 23. Utri fabulae, B an S, scenae 4 et 5 assignandae sint, dubitari nequit. In sc. 5 Simo ipse primarias partes agit, simul scena 4, in qua Pseudolus rursus tantum de inveniendo argento cogitare videtur, arte cum ea conjuncta est.

Conf. vs. 397 sq.

Quoi néque paratast gutta certi consili
Neque ádeo argenti.

404 sq. Nunc égo poeta fiam : viginti minas
Quae núsquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.

Conf. praeterea vs. 412 sqq., 424 sq., 506, 536 sq.

In utraque scena autem inconcinnitas est ea, ut referatur ad rem, in praecedentibus scilicet actam, quae tamen in nostra Pseudolo nusquam compareat.

Versus 406—408 (conf. § 7) nullam omnino offensionem habuisse possunt in fabula alius argumenti. Potest enim, ut in parte fabulae, quae huic loco praecesserit, fuerit, ad quod Pseudolus adluderet. Sed praeterea aptum

est et naturae comoediae conveniens, Pseudolum de ingenio eri majoris, quem decepturus est, spectatores admonere. Ipse enim eo callidior erit, quo magis erus cautus et suspiciosus. Saepius igitur ad hunc modum in fabulis ingenium alicujus personae ab altera explicatur.

Cujusmodi sunt verba Davi, Andr. vs. 210 sqq.

Sin opitulor, hujus (sc. patris) minas
Quoi vérba dare difficilest : primum jam de amore hoc comperit
Me infénsus servat ne quam faciam in nuptiis fallaciam.

Conf. praeterea Men. 96 sqq., Capt. 95. sqq, Curc. 61 sqq.

Sed ab argumento Pseudoli hic locus alienus est.

Neque minus contaminationem commendat, quod Pseudolus auxilio Calliphonis, quod sibi in fine sc. 5 invocavit in hac fabula nusquam utitur.

§ 24. Actus tertius, qui contra morem comoediae Graecae hic pro quadam progrediendi argumenti intercapedine est (Conf. Cap. I § 7) suspicionem movet, ex argumento B quoque nonnulla deesse. Convivium, ad quod coquus conductus est, quod lenonis verba in prima scena jam respiciunt (vs. 157, 166—170), in B olim ad actionem magis pertinuisse verisimile est. Ita hunc actum pro reliquiis alicujus argumenti partis, olim cum toto arte conjunctae, habeo, quae nunc, deperditis quae argumenti interiorem affinitatem declararent, soluta et inconnexa videantur. Quodsi actus III argumenti partem necessariam exhiberet, nemo, opinor, pueri soliloquium sollicitaret (III, 1). Puer enim spectatores monet et lenonis diem natalem esse, et eum hominem malum et crudelem esse, quod utrumque in argumento gravissimum.

Solent autem comoediae Plautinae personas habere semel tantum inductas, quae peracto eo, ad quod poeta eas adhibuit, abeunt neque in scenam revertuntur. Id non dubito in comoediis Graecis simili ratione usurpatum

esse. Tota comoediae antiquae ratio talia πρόσωπα προτατικά in mediam comoediam, ut ita dicam, a poetis ascita admisit. Confer coquum Curc. 251 sqq., choragum ib. 462 sqq.; puerum Capt. 909 sqq., Pythodicum Aul. 363—370. Poeta autem hujus fabulae maxime id operam dat, ut bene sentiatur, de quanto fastigio lenonis fortuna prolapsa sit: qui in principio fabulae laetis rebus superbe glorіatur, in exitu desperans sibi ipse mortem denuntiat. Conf. vs. 165

Nam mi hódie natalis dies est: decet
eum omnes vos concelebrare

vs. 1237

Cértumst mi hunc emortualem facere
ex natali die.

Quod si consideraris, soliloquium pueri supervacaneum vix potest videri. Brevi ante enim quam illa fortuna acerba lenoni accidit, monet, qualis homo fuerit rebus secundis. Et id ipsum, quod fere omnes hanc scenam sollicitavere, potius eo refero, quod Actum III aliter atque fieri solet ad argumentum fabulae pertinere arbitrati in soliloquio vitii originem indagarent. Sed profecto scenae hujus actus inter se separari nequeunt, de toto non de partibus disceptandum est.

Argumentum B autem non totum in nostra Pseudolo exhiberi vel ob numerum versuum est veri simile (paene 850, conf. infra).

Etiam hujus actus igitur rationes ad contaminationis suspicionem ducunt.

§ 25. In actu IV discrimen erit positum, quid nostra conjectura valeat.

Hic exordium mihi erit in comparanda sponsione, quam Ballio cum Simone init (sc. 6 vs. 1070 sqq.) cum ea, quam in sc. 1 Act. I Pseudolus cum Calidoro fecit.

Vs. 1068 sqq.

Ba. Minaé viginti sanae et salvae sunt
tibi,

Hodié quos abs ted est stipulatus
Pseudolus.
Si. Velím quidem hercle. Ba. Roga me
viginti minas,
Si ille hódie | illa sit potitus muliere
Sive eám tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Roga óbsecro hercle: gestio promittere,
Omníbus, modis tibi esse rem ut salvam scias
Atque étiam habeto mulierem dono
tibi
Si. Nullúmst periclum, quod sciam,
stipularier
Ut cóncepisti verba viginti minas
Dabín? Ba. Dabuntur. Si Hoc quidem
actumst hau male.

Vs. 112 sqq.

Ps. Satin ést si hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua út sit aut si tibi do viginti minas?
Ca. Satis sí futurumst. Ps. Roga me viginti minas,
Ut me éffecturum tibi quod promisi
scias.
Roga, óbsecro, hercle, gestio promittere.
Ca. Dabísne argenti mi hodie viginti minas?
Ps. Dabó: molestus nunciam ne sis mihi.

Sunt loci forma admodum similes, ut dicas alterum ad alterius exemplum compositum esse. Re tamen magnopere inter se differunt. Sponsio a Pseudolo jeculariter inita a sponsione justa magnopere differt. Si servus enim sponsionem perdiderit, nihil amplius ideo erus habebit quam antea; potest servum punire, potuit etiam nulla sponsione facta. Jocularem hujus sponsionis na-

turam esse vel ipsa forma ostendit, quippe in qua desit altera legitimae sponsionis pars, quae condicionem continet, qua quid datum iri spondetur. Itaque haec sponsio nihil est quam promissum in verba gravia conceptum ex reique levitate juncta verborum gravitate ridiculi nescioquid persequens. Haec facile ad exemplum aliquod Graecum scripta esse possunt.

Conf. Arist. Plut. 1202 sq.

ἀλλ' εἴ γε μέντοι νὴ Δί' ἐγγυᾷ σύ μοι,
ἥξειν ἐκεῖνον ὡς ἔμ', οἴσω τὰς χύτρας.

Longe aliter altero loco res se habet, ubi sequentia ostendant sponsionem habere juris effectum. Quod in exemplari Graeco sic quidem fuisse non potest, quia talis sponsio a Graeco jure aliena est [1]).

---

[1]) Conf. Gaji Inst. III 93 At illa verborum obligatio DARI SPONDES? SPONDEO adeo propria civium Romanorum est, ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem proprie transferri possit.

Si hanc fabulam exceperis (conf. etiam Capt. vs. 897), Plautus ibi fere sponsionem adhibet, ubi adulescenti virgo despondetur. Curc. 674

Ph. Spondésme miles, mi hanc uxorem? Th. Spondeo.

Poen. 1155 sqq.

Ag. Audín tu, patrue, dico ne dictum neges:
Tuam míhi majorem filiam despondeas.
Ha. Pactám rem habeto? Ag. Spondesne igitur? Ha. Spondeo.

Trin. 571 sqq.

Ph. Nunc, tuám sororem filio posco meo,
Quae rés bene vortat. quid nunc? etiam consulis?
Le. Quid istíc? quando ita vis: di bene vortant, spondeo.

ib. 1156 sqq.

Ch. Fíliam meam tibi desponsam esse audio. Ly. Nisi tu nevis.
Ch. Immo haud nolo. Ly. Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Ch. Spóndeo et mille auri Philippum dotis.

Hi loci omnes plane Graeci sunt; nam ἐγγύησις omnino necessaria Graeco matrimonio erat.

In Pseudolo sponsio ter occurrit de alia re (vs. 117 sq.; 533 sqq; 1070 sqq), primo loco jlocaliter inita et forma non absoluta (conf. supra); duobus aliis locis justae sponsionis vicem obtinens.

Primum hic oritur quaestio, num Plautus Graecis verbis paullum mutatis in sponsionis formam redegisse possit, quod apud Graecum poetam aliter quod in compositum invenisset.

Fac Graecum poetam hic promisso Ballionem se astringentem Simoni fecisse, ut ei viginti minas daret. At flagitat ratio perfidi ingenii Ballionis, ut re severiore quam promisso impeditus sit, quominus, si libuerit, fidem rumpat. Non est vir, qui propter solum promissum viginti minas perdat; in principio fabulae, nisi fallor satis ostendit, quam parvi promissa, quam magni autem argentum penderet (conf. vs. 282; 311, 312; 355; 376—378; etiam vs. 1125 sqq.). In insequentibus vero tantum humiliter petendo a Simone, ut argenti sibi veniam faciat (conf. vs. 1224), hoc damnum effugere conatur, neque id sibi arripit, quod in re promissa paratissimum dixeris, ut plane recuset promissum solvere. Simonis contra verba ejusmodi sunt (vs. 1225, 1231), ut appareat, eum nullo modo dubitare, lenonem sibi argentum numeraturum esse. — Promissum igitur in hunc locum non quadrat.

Etiam accurata cum sponsione primae scenae comparatio docet, Plautum hic nullum exemplum Graecum imitatum esse. Nam etiamsi Ritschelio concedas, Plautum in eadem fabula non bis eundem versum usurpare potuisse (vs. 1073 = 116), utriusque loci compositio, ordo, vel ipsa verba (Roga me viginti minas utrobique occurrit) tam inter se similia sunt, ut in utroque tam similiter verba Graeca commutasse nequeat.

Rursus si Graecus poeta hic non promissum adhibuerit, sed prorsus alia ratione locum habuerit conscriptum, non possit intelligi, cur Plautus ejus rationem mutaverit et locum ita maluerit tractare, ut necessario ad rem in hac fabula iam bis usitatam recurreret, atque quae jam ante identidem repetisset, denuo spectatoribus proponeret. Inopia inveniendi hoc excusari potest. Etiam haec igitur ratio nos adducit, ut credamus sponsionem ab ipso Plauto

additam, non paullulum immutatam ex Graeco exemplari esse sumptam.

Ponamus igitur totam hanc sponsionem a Plauto additam esse. Si quaeritur, qua causa, imprimis utile est consideratu, quo ea sponsio pertendat. Multi autem notaverunt, Simonem in sequentibus non admodum pigere videri, Pseudolo consilium prospere successisse. Cujus rei — nam per se illud gaudium mirum videtur — haec optima explicatio se offert, quod sponsione cum lenone inita omni damno se liberum esse sciat.

Si Plautus igitur sponsionem addidit, hanc ob causam fecit, ut personae Simonis rationes in sc. 7 probabiliores redderet. Sic adducimur, ut Plautum suspicemur in sc. 7 aliam personam exemplaris Graeci in hunc modum invertisse, ut ibi partes Simonis suscipere posset.

Eadem conjectura perspicuum reddit, quomodo in ea persona tam multa inesse possint, quae a patre comico longe abhorreant (Conf. Part. I § 5.) Tum ei favet, quod Simo in Act. V, ubi rursus Simonem illum pristinum agit patremque Calidori, non minus fortiter repugnat, quominus Pseudolo viginti minas promissas det, quam nostro loco ad eam rem se promptum ostendit (conf. Act. IV vs. 1241 sqq. cum Act. V vs. 1316 sqq.). Illic et ejus, quod se facturum denuntiaverat vs. 1241 sq., et sponsionis, qua leno ipsi adhuc viginti minas debet, omnino immemor esse videtur.

In ambagibus igitur extremae hujus fabulae partis via patefit, si ponimus, Plautum in septima scena Act. IV aliam personam ad suscipiendas partes Simonis accommodasse, quam ad rem etiam hanc sponsionem lenonis cum Simone adhiberet.

At si sponsio scenae 6 additamentum Plautinum est, debent ea quoque quae in scena 7 eo respiciunt, non arte cum ceteris conjuncta esse. Et revera si ii versus tolluntur, nihil prorsus desiderabitur. Si enim vss. 1223—1228 delentur, vs. 1229 apte versui 1222 applicatur; itidem vs. 1231 sine damno aberit.

Omnes hac rationes igitur conjecturam aut non recusant aut commendant. Nunc videamus, quomodo conveniat cum propositio nostro comprobandi contaminatam esse Pseudolum.

Scena 7 in ultima fabula B posita fuit; ejus enim conclusio, i. e. conversio fortunae Ballionis, hic ad finem perducitur. In ea igitur scena in Graeco exemplari persona Simonis fuisse non potest, unde efficitur, ut aut a Plauto addita aut mutato nomine et colore ab alia aliunde desumpta persona deformata esse debeat. Hoc iis quae supra disputavi convenit.

Item quattuor primae Actus IV scenae ad argumentum B. referendae sunt. In prima parte (§ 4) demonstravi diversa esse tempora quo Phoenicium a Simia abduceretur et quo Harpax rursus ad aedes Ballionis veniret; inter ea quae IV, 4 et ea, quae IV, 7 fierent, aliquod temporis spatium interjectum esse. Ea temporis differentia in scenis 5 et 6 negligitur, paene dicam oblitteratur. Inde jam statim veri simile fit, si hae scenae Graeco poetae debeantur, saltem eas in Graeco exemplari non eundem locum obtinuisse. Sed possuntne ex Graeco exemplari sumpta esse, si mea conjectura rata erit? Praeter sc. 7, de qua jam dixi, hic solus locus est, quo utriusque argumenti personae primariae simul in scenam prodeunt. Saltem altera igitur huc a Plauto illata sit, necesse est. Et quidem Simo, qui hic quoque familiarem Ballionis se praestat, minime Graecum ingenium sapit. Sed si Simo in Graeco exemplari non infuit, tota sc. 6 in eo infuisse non potest. Altera enim hujus diverbii persona sublata, totum tollitur. Si autem sc. 6 a Plauto addita est, idem de sc. 5 accipiendum est. Nam breve lenonis soliloquium nihil aliud est quam praeparatio quaedam et introductio ad scenam insequentem; simul et hic illam, de qua disputavimus, temporis ambiguitatem offendimus, ut leno,

quamquam aliquod temporis spatium post abductam Phoenicium aedibus progressus sit, loquatur, tanquam si nuntius militis puellam modo ab ipso acceperit [1]). Mea conjectura igitur fert ut totus hic locus a Plauto in diasceue additus sit. Etiam totius fabulae rationis respectu hoc affirmandum videtur.

Primo enim nihil in utraque scena inest, quod prodat originem Graecam, nihil de moribus, de re publica, de aliquo hominum genere memoratur, quod Graecam comoediam spiret.

Deinde nullus argumenti processus in his scenis est; actio tanquam torpere videtur. Praeterea nihil in iis inest, quod non jam ex praecedentibus notum sit. Praeter illam sponsionem enim eorum quae ante in scena acta sunt narrationem continent. Hoc quidem contra artem Graecorum poetarum est. Frequentes sunt narrationes in comoediis et Terentiamis et Plautinis, sed semper earum rerum, quae in scena non sunt acta. Eae narrationes semper suam ob causam a poeta adhibitae sunt, ut aut locum eorum, quae suapte natura in scena agi nequeant, occupent, aut intellectum argumenti spectatoribus faciliorem reddant. Talem autem locum, qui tantum versatur in iterandis iis, quae spectatores jam sciunt, praeter hunc non facile in Plauto invenias. Immo data opera talia vitari solent. Conf. Pseud vs. 720 sq.

-́ ᵕᵕ Horum cáussa haec agitur spectatorum fabula:
Hí sciunt qui hic adfuerunt: vobis post narravero.

Conf. Poen. 550 sqq.; Poen. 920—922 (qui procul dubio non ut versus praecedens in diasceue additi sunt).

---

[1]) Hinc non discrepat vs. 1098:
Qui illám quidem jam in Sicyonem ex urbe abduxit modo.
Versus corruptissimus est, sed ii qui eum interpolatori tribuunt, id negligunt, nihil in eo glossatorem sapere.

Tum etiam comparatio Pseudoli cum Ulixe (vs. 1063, 1064) repetitur vs. 1244 in soliloquio Simonis, quod propter alias causas etiam additamentum Plautinum habuerim.

His rebus motus Actus IV scenas 5 et 6 a Plauto additas esse recte statuere posse mihi videor, ut duas partes argumenti olim non continuatas inter se connecteret simulque eas partibus ex S. sumptis melius applicaret.

Postrema quaestio est, num hac conjectura discrepantia, quae est inter vs. 1079—1086 et vs. 896 sqq. explicari possit. Potestne igitur Plautus in scena 6 Act. IV immemor fuisse ejus quod in fine Act. III dederit? Potest vero, ut mihi videtur. Nam Plautum omnino in contaminatione admodum socordem fuisse exemplum Militis et Poenuli [1]) docet. Quas si respexeris, fabulas videtur scripsisse ad usum, artis incuriosus.

Meo judicio multo facilius ita peccare potuit, qui duo diversa argumenta in unum confunderet quam qui unam ipse fabulam scriberet. Ille enim tria argumenta, — duo illa, quae in contaminatione adhibebat, tum novum, quod contaminatione efficiebatur — mente versans facile aliquid conturbare potuit.

§ 26. Una hic quaestio restat. Si Plautus sc. 5 et 6 Actus IV addidit, cur non similiter persona Simonis in sc. 7, qui in Graeco exemplari fuisse nequit, ab eo addita est?

Primum non est moris Plautini tanta cura locos additos iis, quibus adduntur, implicare. Deinde consentaneum foret, eum personam additam magis accommodasse ad illum Simonem, quem altera fabula praeberet. Si enim illic novum Simonem finxisset, finxisset eum, quo opus esset; sin aliam personam jam in ea fabula occurrentem invenit, quae in Simonem ei reformanda erat, non mirum, multa in ea remansisse, quae a vero Simone abhorreant. Ut omnino in contaminatione, ita hic Plautus opus tollendi

---

[1]) Conf. Langeni Plaut. Stud. pag. 313—331, 336—357.

contraria, conciliandi diversa indiligenter et festinanter profligavit.

Deinde naturae humanae accommodatius est, duos esse qui eludant, unum qui eludatur; inde veri simile fit, Graecum poetam lenoni sodalem addidisse, quocum advenientem Harpagem acciperet. Ratio totius scenae similiter atque extremae scenae Persae vel tertiae Act. III Asinariae plures personas postulat.

Et quod gravissimum est, in fine et leno et cacula abit; debebat igitur unus restare, qui aut actum concluderet, aut si hic finis fabulae erat, postrema ad spectatores verba faceret.

§ 27. Actus V scenam 2 in fabula S olim locum habuisse, vel in ea occurrens persona Simonis indicat. Sed etiam scen. 1 illinc sumptam esse puto. Nam verba Pseudoli in fine Act. IV sc. 4:

1051 Ite hác, triumphe, ad cantharum recta via.

comparata cum Bacch. 1070—1075 veri simile faciunt, in B Pseudolum non amplius in scenam prodiisse.

Praeterea ab argumento B id alienum foret, quod mala fortuna lenonis quam aptissime exitu scenae 9 Act. IV finitur (confer similem finem similis argumenti Persae).

Hinc efficitur IV, 8, quae Actum IV ad V tanquam transducit, a Plauto affictam esse. Simo hic promittit se Pseudolo viginti minas ultro oblaturum esse; quod quidem non facit; at tamen sic explicatur, cur domo progrediens jam statim cruminam secum portet. Videtur igitur ipse Plautus hanc rem explicatione egere putasse. Et re vera propter ipsa verba Simonis, quae quod supra ex locis similibus comparatis ostendi (conf. Part. I, § 4) satis ostendant eum de improviso voce et pultatione Pseudoli foras accitum esse, mirari debemus, eam tamen cruminam manibus tenere.

Comparatio autem fabularum Terentiarum et aliarum Plautinarum docet, hunc Actum olim in S multo lon-

giorem fuisse [1]). Hanc ob rem mihi a veri similitudine non abhorrere videtur, Plautum in sc. 2 duas scenas Graecas confudisse, in quarum priore Pseudolus Simonem promissi admoneret, in posteriore argentum a Simone acciperet; Simonem autem in fine prioris ad petendum argentum domum intrasse; neque iam statim, ut fit in Pseudolo, inde cum argento prodiisse. Tota loci proprietas ita non absurde explicari videtur. Plautus autem, quod ipse intellexerat opus suum in hoc loco imperfectum esse, scena 8 actus IV, de suo inserta, aliquantum ei fuit subsidio.

Quid igitur de contaminatione Pseudoli sentiam, perspicuum. In parte autem insequenti breviter disputabo, quatenus argumenta fabularum B et S cogitatione assequi possimus; simul ibi locus erit uno conspectu comprehendendi, quae Plautus, ut alterum argumentum ad alterum accommodaret, aut mutaverit aut addiderit.

---

[1]) Andr. Act. V habet scenas 6 versus autem vss. 161; Heaut. Act. V scen. 5, vss. 193; Eun. Act. V scen. 8, vs. 274; Phorm. et Ad. similiter, Hecyrae saepius a Terentio retractatae Act. V minor est.

Fabula Men. Act. V si in vs. 881 incipit, habet tamen ad 300, Mer. plus 225 versus; Most. plus quam 140; Capt. plus 140; Asin plus quam 110. In Truculento et Trinummo initium Act. V difficile est statuere.

Pars Tertia.

Quibus Graecis fabulis Plautus in componenda Pseudolo usus sit.

§ 28. Argumentum fabulae B in praecedentibus jam paucis verbis adumbravi; versatur in perdendo lenone, et quidem die ipsius natali.

Fere similis argumenti tres fabulae Plautinae sunt: Curculio, Persa, Poenulus. Fortasse ex earum similitudine quaedam effici poterunt iis additis, quae de eo argumento B ex ipsa Pseudolo sumere licet. Quae autem scenae ex fabula hujus argumenti sumptae sint, facile discretu est: in parte enim haud exigua ipse Ballio occurrit, in Actus IV sc. 7 autem Harpagis et Ballionis partes ita conjunctae sunt, ut dilucide appareat, eas ad idem argumentum semper pertinuisse; omnes scenae igitur, ubi aut Harpax aut Ballio occurrit, in B olim locum habuerunt. Deinde scena, ubi Charinus Pseudolo Simiam adjutorem promittit (II, 4) et cum scena, in qua Harpax occurrit (conf. 716 sqq. cum II, 2) et cum I, 3, in qua Ballio, connexa est; efficiendum est 1° ex hac connexione, 2° ex vs. 956 sqq. qui cum actu tertio cohaerent, 3° inde, quod partes Simiae cum prioribus scenis Act. IV tam arte connexae sunt, ut separari nequeant, personam Simiae ad idem argumentum esse referendam.

Sunt igitur argumento B attribuendae:

Act. I, sc. 2, 3; Act. II, sc. 2—4; Act. III, sc. 1, 2; Act. IV, sc. 1—4, 7.

§ 29. Initium vero fabulae B non fuisse orationem lenonis (I, 2), facile statuere possumus; nam tales scenae, quae totae in ampla exornatione alicujus partis secundariae versantur, secundae scenae locum in fabulis solent obtinere. Ita res se habet in Mostellaria, in Poenulo, in Curculione; etiam Rud. I, sc. 2—5 similis materiae sunt.

Praeterea spectatores quodammodo praeparati esse debebant ad ea quae in sc. 3 futurum erat ut agerentur.

Veri simile autem duco fabulae B exordium a prima scena Poenuli non multum abhorruisse, ita ut in eo spectatoribus cum ingenium personae, quae scelestas ut ita dicam partes actura esset, summatim describeretur [1]), tum de universo argumento quae opus essent, exponerentur.

Argumentum hujus scenae breviter adumbrabo, non quin sciam tale quid admodum incertum esse et lubricum, sed ut exemplum proponam, quemadmodum scena illa quae necessario praecesserit, composita esse potuerit.

Calidorus servo exponit se in amore Phoenicii fere omnes opes perdidisse [2]), deinde cum munera minora lenoni mitteret, hunc minari coepisse, se Phoenicium alii amatori permissurum aut venditurum esse. Neque precibus neque conviciis [3]) adduci potuisse, ut Phoenicium ipsi diutius concederet [4]). Postremo eum certam

---

1) Conf. Poen. vs. 154—168; Curc. vs. 61 sqq.

2) vs. 257 Ca. Dedí dum fuít. Ba. Non petó quod dedísti
vs. 378 Séd sine argento frustra's, qui me tui misereri postulas,

3) Ita etiam vox *simultas* in vs. 284: Nam íd hic metuit ne illam vendas ob simultatem suam explicanda est. Conf. Poen. vs. 751 sqq.

Novum aliquid et inauditum protulit Lorenzius de ea voce Phil. XXXV pag. 169: „Es ist ein höheren Stilgattungen angehöriges Wort." In Ciceronis autem epistolis frequens est, praetera occurrit Phorm. 232, in loco excitatiore quidem sed minime elatiore.

4) vs. 258 ◡ ´ — ◡ ´ Ba. Ducitó quando habébis.

diem ipsi statuisse, intra quam nisi viginti minarum pretium pro Phoenicio solvisset [1]), excluderetur, cum lenoni sine mora divitiori alicui virginem vendere certum esset. Ante diem tamen argentum se comparare non potuisse [2]); nunc igitur a lenone petendum esse, ut brevem adhuc moram concedat.

Hoc nimirum consilio adolescens et servus a lenone colloquium petunt. Nam ubi primum leno substitit, servus pro ero minore hoc ipsum rogare incipit.

vs. 276 sqq.

Ps. Séd scin quid nos volumus. Ba. Pol
ego prope modum: ut male sit mihi.
Ps. Ét id et hoc quod te revocamus: quaeso
animum advorte. Ba. Audio:
'Atque in pauca, ut occupatus nunc
sum, confer quid velis.
Ps. Húnc pudet quod tibi promisit quaque id promisit die,
Quód tibi minas viginti pro amica
etiam non dedit

§ 30. Si hoc recte ponitur, quemque actum quam maxime partem fabulae in se rotundam efficere solere, ex reliquiis fabulae B quae in Pseudolo supersunt, imaginem totius fabulae adumbrare cum aliqua veri similitudinis specie licet. Actus I secundum hanc rationem continuit talem sc. 1, qualem conjectura repraesentare conati sumus, deinde sc. 2 et 3, quae in nostra Pseudolo exstant, praeterea breve aliquod Pseudoli soliloquium similis argumenti atque id, quod 562—573 continetur.

Scenae 2—4 Act. II Pseudoli fere etiam Actum II fabulae B effecisse videntur.

Actum III Pseudoli non totum Actum III B exhibere,

---

1) Vs. 278 fortasse quamque ad promisit diem (Sic Redslobius) pro quaque id scribendum. Conf. Cap. III ad vs. 530).
2) vs. 286 sqq.; vs. 278 sq.

veri simile mihi videtur jam propterea, quod ejus principium cum praecedentibus tam laxe cohaeret. Aut ante scenam coqui igitur olim plura fuerunt, ex quibus monologus pueri lenonii solus reliquus est, aut post eam hic actus continuabatur, in quo etiam puer lenonius suas partes haberet.

Quattuor primae scenae actus IV Pseudoli fere actum IV B explesse possunt.

Ex actu V B solus is locus superest, in quo leno suam malam fortunam agnoscit, in quem fabula videtur olim desiisse. Quodsi ratum est, ante eum haud pauca deficiunt. Ita fit, ut de illo lenonis sodali omnia incerta sint, et quod genus hominis sit et quomodo in in fabulam inductus sit. Maxime tamen ad rationes comoediae accomodatum videtur, si fuerit vicinus lenonis — nam in B nullus ceterum lenonis vicinus memoratur — sed longe alius ordinis atque Simo; immo pauperem egenum eum fingamus, tamen more multorum liberorum Atheniensium illius aetatis opificia atque omnem laborem despicatui habentem. Itaque ejus ordinis atque condicionis fuerit, cujus sunt ‚advocati' in Poenulo, cujus in universum etiam parasiti: homines, qui ob bonam cenam vel parvum subsidium argentarium multa mussitantes, tamen illa propria liberorum civium superbia utantur, ut illos ipsos, quorum auxilium subsidiumque non recusent, despectos habere et contumeliis afficere par existiment.

In deficientibus fortasse Ballio cum illo suo sodali de venditione Phoenicii deque timore, quo Pseudolus ipsum affecerat, communicavit ita quidem ut de iis rebus loquentes in scenam prodirent. Hac ratione enim Plautus efficere solet, ut ne repetantur quae spectatores jam noverint, neve ab altera parte personae in fabula agitantes quae neque audierint neque spectaverint, tamen tenere videantur (Conf. e. g. Epid. I, 2; Pseud. I, 5).

Ballio autem metuit insidias Pseudoli, etsi de iis (quod quidem in nostra fabula invenimus) non admonitus; nam

servi fraudulentia atque sollertia lenoni non minus notae sunt quam illi hujus perfidia nequitiaque (conf. vs. 233 sq.). Similiter patres, qui a servis falluntur, jam pridem probe sciunt, unde caveant.

§ 31. Caput argumenti S sine dubio fuit Simo a Pseudolo fallacia circumventus. Iam supra (Part. II § 22) notavi, Pseudolum in iis fabulae partibus, quas S assignavi, hoc unum propositum habere, quomodo Calidoro pecuniam comparet. Praeterea in omnibus scenis, quae nobis hinc supersunt in hac patris frustratione tanquam cardo actionis positus est. Eo argento autem opus est, quia amica erilis militi veniit. Sic enim in prima scena epistola Phoenicii spectatores edocet. Hactenus omnia concinne procedunt, sed deinde, quod mirari licet — siquidem et Phoenicium ea vix scire potuit et Calidori paullum interest ea singula cognoscere — in eadem epistola accurate describitur, quibus condicionibus miles emptionem fecerit, quoque modo procuraverit, ut ipsius nuntio virgo traderetur. De industria igitur, proposito minus flagitante, poeta ea addidit. Inde veri simile fit, aut hanc epistolae partem a Plauto esse additam, ut jam a principio spectatores eam in argumento gravissimam rem attenderent, aut aliquo modo abductionem Phoenicii cum argumento S quoque conjunctam fuisse. Verum quia imprimis accurate symbolum, quod miles reliquit, describitur:

Vs. 56. expréssam in cera ex anulo imaginem

in Pseudolo autem servus symbolo, quod inest in epistola, non utitur [1]), fortasse servus in S similem dolum

[1]) Postremo demum, postquam Harpax, se ei symbolum daturum esse, jam ostendit, Pseudolus omnia, quae de ea epistola Phoenicii cognita habebat, protulit vs. 649 sqq.). Hoc quidem sero; et mirum videri potest, eum ea scientia non prius esse usum ad impetrandum argentum. Sic enim id, quod ad persuadendum Harpagi gravissimum fuisset, Pseudolus, profecto haud more suo, nullo sibi usui esse sivit. Censeo igitur Plautum vs. 649 sqq. addidise, cum vs. 648 semel symboli monitus esset, ratus hic opportunitatem se habere coaptandi duo argumenta artius inter se.

adhibebat atque parasitus in Curculione, ut cum miles jam die ante Dionysia Athenas venisset, aliquo modo anulo eum interverteret et deinde falsa epistola obsignata Phoenicium abduceret.

Quod si ita institutum fuit, Plautus in contaminando eo usus est consilio, ut partem secundariam commutaret aliqua parte similis argumenti ex alia fabula sumpta; cum hoc tamen effectu, ut pars addita suo magno ambitu multa insuper alia ex fabula quae pro stamine erat, expulerit ideoque pro capite novae fabulae quae contaminando efficeretur haberi posset.

Actum V autem olim in S longiorem fuisse, jam supra monui, sed quomodo ille plenior conscriptus fuerit, vanis conjecturis persequi nolo. In argumento B, cujus tanto plura supersunt, cum aliqua veri similitudine de toto aliquid divinare possis. De fabula S contra idem tentare, nimis ambiguum erat.

§ 32. Si sciremus aliquam fabulam contaminatam esse, profecto valde mirum esset, si nullum in eo locum invenire possemus, quem poeta qui eam contaminavit, de suo addidisset, ut partes origine diversas inter se accommodaret. Consentaneum rursus est, in Pseudolo hic illic inesse, quae ad fabulam, quam nos habemus, et duo argumenta conjuncta respiciant; sed contra conjecturam contaminationis id non valere debet. Plautus enim in conscribendo sui propositi non immemor erat, etsi fuerunt ei proposito contraria, quae eum effugerint.

Ejusmodi est vs. 1162

Pseúdolus tuos allegavit hunc.......

Item vs 896 sqq.

Nam míhi hic vicinus apud forum paullo prius
Patér Calidori | opere edixit maxumo
Ut míhi caverem a Pseudolo servo suo,
Ne fídem ei haberem: nam eum circumire in hunc diem

Ut mé si posset muliere intervorteret.

Locorum autem a Plauto additorum accurate fines describere vanus conatus foret, cum praesertim nesciamus, utrum in S comparatio argenti ab abductione Phoenicii necne penderet. Si penderet, ii loci admodum pauci sunt: sin aliter, non ita multi. Verum tamen tunc loci, qualis est vs. 691

Trís deludam erum et lenonem et qui hanc dedit mihi epistulam.

(conf. vs. 704 sqq., 1025 sqq., 586 sqq.) iis adnumerandi sunt. Etiam vs. 649 sq. qui soli ex hoc loco ad scena prima exposita sunt, respiciant, fortasse a Plauto additi sunt. Ii loci neque natura neque numero magnopere obstant contaminationi.

Postquam ad finem meae disputationis perveni non sine quadam verecundia eam aliis commendaverim, probe mihi conscius, quam incertae tales res sint. Si ea, unde in ratiocinatione profectus sis, novis testimoniis documentisque inventis aucta sunt, nonnunquam conclusiones vel maxime acutae et ingeniosae diluuntur tanquam nives vere tepescentibus auris. Sed tamen sic mecum constitui, ut ne reticerem hanc conjecturam, meo judicio ea quae compositio Pseudoli propria habet, melius explicantem quam ceterorum de ea re opinones prolatae adhuc fecerunt, neve tamen recusarem quominus, si quando melius alius aliud invenisset, huic concederem.

CAPUT III.

CRITICA ET EXEGETICA.

---

§ 1. Vs. 25, 26.

Hasquidém pol credo nisi Sibulla legerit,
Interpretari | alium posse neminem.

Omnes viri docti hiatu offensi sunt, Brixius praeterea vocabulo *alius* (Ann. Fleck. CXV pag. 327 sqq.), sic ratiocinatus:

„Wol sagt man ‚was ich nicht kann, vermag auch kein anderer' oder ‚wenn kein anderer dies lesen kann, so wird Sibylla es können', aber nicht ‚wenn es A nicht leisten kann, vermag es kein anderer' sondern ‚dann vermag es keiner'." Vir in Plauto magnopere versatus et bene de eo meritus proposuit *natum .... neminem*, quod Götzius in ed. maj. recepit, in minore, quam cum Schöllio adornavit librorum lectione retinens. Et merito. Nam nullus hoc loco magis sermonem vivum, cujus et sua praestantia est et sua sunt vitia, spirare potest, neque ulla Brixiana ratiocinatione magis scholae umbram sapere.

Persaepe enim loquentes animadvertere possumus duas sententias pares ita confundi, ut initium alterius cum alterius exitu copulentur. Tantum ii, qui inde a pueritia severioribus grammaticae praeceptis sermonem temperare

didicerunt, tales constructiones bigeneras vitant. Eam autem regulam a Plautino sermone alienam esse, nemo fere ignorat.

Neque alia similis incongruitatis exempla desunt:

Vs. 348. Ca. Qúr id ausu's facere?

Plautus confudit, ‚qui id ausus es' et ‚cur id fecisti'.

Vs. 401 sqq.

Sed quási poeta, tabulas quom cepit sibi
Quaerít quod nusquamst gentium, reperit tamen,
. . . .
404 Nunc égo poeta fiam: viginti minas
Quae núsquam nunc sunt gentium inveniam tamen.

Haec sententia e duobus dicendi modis conglutinata est:

1°. poeta tabulas quom cepit sibi, quaerit, quod nusquam est, tamen reperit: nunc ego poeta fiam sqq.;

2°. quasi poeta, qui quom tabulas cepit sibi, quod nusquam est reperit, sic ego viginti minas, quae nusquam sunt, inveniam.

Neque, opinor, B.ixii acumen in hoc vitium incidisset, nisi hiatus qui in versu inest, ei aciem obstrinxisset; nam hiatus magno virorum doctorum numero idem, quod tauris atque avibus quibusdam pannus ruber efficere solet, quo conspecto inconsideranti impetu in eum proruunt; sic ii viri docti omnem cautelam atque prudentiam perdunt, ubi in textu Plautino hiatus est, qui deleatur.

Sed melius erat quam accuratissime librorum de eo traditionem proponere, si forte tandem aliquando accidat, ut quis inveniat de hiatibus quod ad veritatem accommodatum, non arbitrarie statutum, accipi possit.

Quam utile autem sit de hiatu non praejudicata re considerare vel uno exemplo ostendam.

Leo nuper in libro saepius jam laudato demonstravit apud Plautum in synaloephe diphthongi *ae* differre, utrum

sit nominativi pluralis, an dativi singularis, an genitivi singularis; in genitivo synaloephen maxime vitari, in nominativo plurari eundem fere numerum locorum, ubi hiaretur ubique elideretur, inveniri, in dativo synaloephen adhiberi solere.

Cicero Tusc. Disp. I, 16, 37 fragmentum aliquod tragicum incerti auctoris praebet

Únde animae excitantur obscura umbra opertae ostio
'Altae Acheruntis, salso sanguine.

Hac observatione Leonis uso conjecturam <*ex* > *ostio*, quam magnus numerus doctorum amplexus est, repudiare mihi licet, itemque eos corrigere qui in secundo versu contra constantem usum antiquiorum áltae Ăchĕrúntis metiri volunt. *Acheruns*, si metrum dactylicum excipias, quod creticam respuit, primam syllabam semper productam habet; metiendum igitur est áltae | 'Acherúntis.

Hanc ob rem improbandum est, si propter unum hiatum lectio alioquin sana a viris doctis rejicitur aut corruptelae emendatio quae in promptu sit negligitur. Equidem velim ut neque diligenter hiatus in editionibus indicare negligerent neque tamen studerent eorum numerum quam minimum reddere.

Vs. 149 cod. A sic exhibetur:

Verum íta vos estis praediti neglegenti ingenio, improbi;

versus ex omni parte sanus; *improbus* pro maledicto etiam vs. 183 usurpatur

(quid mi) Domi nísi malum vostra operast hodie, improbae....

Tamen editio Götzii et Schöllii, quamquam plerumque hiatus traditos mutare non solet, pro sanis falsa exhibet depravata Pal. lectione cum A conglutinanda:

Verum ita vos estis praediti neglegentes ingenio improbo

Non aliter res sc habet in Rud. vs. 509
Vs. 508 sq:

Sceléstiorem cenam cenavi tuam
Quam quáe Thyestae quondam | anteposítast [et Tereo.]

Quam leve est *et Tereo* glossatoris docti additamentum, resecare, similiter ut in vs. 604

Natás ex Philomela atque Progne esse hirundines.

Schöllius inde profectus in A versum breviorem fuisse, omnium fere consensu emendavit

Natas ex Philomela at<tica> esse hirundines

Tamen illic propter hiatum viri docti probabilem emendationem respuerunt.

§ 2. Vs. 159

Lo. At haec retunsast. Ba. Sine siet itidem vos quoque estis plagis omnes.

Nemo est quin videat versum sic recte stare non posse. Iam Bothius delevit *omnes*, quod a plerisque viris doctis probatum est. Nemo tamen, unde in textum irrepserit, explicavit. Neque in vicinio enim hoc vocabulum exstat neque glossema esse potest. Hanc ob rem postquam paullo accuratius inquisivi, cujusmodi glossemata in libris Plautinis invenirentur *plagis* delere malui, vocem et glossatorem olentem et jocum misere perdentem. Omnis lepor enim abiit, ubi talis verborum ludus explicatur [1]).

[1]) Fortasse sunt, qui mihi objiciant, jocum, nisi adjectum sit vocabulum plagis, non posse intelligi. Hoc verum esset, nisi *tundere* saepissime usurparetur in sermone Plautino de damnis, quae corpora humana plagis accipiunt. Ita vox *obtusus* sola sufficit ad hoc ut cum eum, de quo disputamus, versum audias, plagarum in mentem veniat.

Glossographi *contusionem* vocabulum Graece per θλάσμα interpretantur; Conf. etiam Amph. 407:

....nonne hic módo me pugnis contudit;

praeterea As. 33

Apud fústitudinas ferricrepinas insulas.

Postquam in meo libro hanc emendationem adnotavi, consulta ed. maj. Götzii, Ritschelium idem probasse vidi.

Plane simile glossema Bothius deprehendit Most. 453:

Pultándo [pedibus] paene confregi hasce ambas foris.

etiam Mil. Glor. 599*b*, qui versus in A ommittitur:

Unde inimicus nequis nostra spolia capiat auribus.

Nam vs. 599

Unde immicus nequis nostra spolia capiat consili

postquam glossema *auribus* genuinum *consili* exturbavit, jam miserum hunc sui gemellum peperit; eam corruptelam librarii habuerunt variam lectionem, itaque versus corruptus primo in margine ascriptus deinde in textum receptus est.

Qui de glossematis in versus concoctis ac deinde in textum receptis dubitat, nisi capito est ut Bentleyanus ille, qui sibi mummum pro summum eripi noluit' jam Truc. 78*b*, Epid 384/85 persuadebunt.

§ 3. Vs. 168 sq.

Intro ábite atque haec cito célebrate ne móra quae sit cocus qúom veniat [mihi]
Ego eo in macellum, ut piscium quicquid est pretio praestinem.

Vocem *mihi* in priore versu abundantem Ritschelius delevit, idem in vs. posteriore, metro lacunam indicante, *ibi* ante *est* inseruit; Brixius *est* in *sit* mutare maluit. Hoc Schöllius in ed. maj., illud in min. recepit.

Ego vero utrumque non admodum probaverim: in dictione plane simili *quantumst* numquam admittitur vocabulum quod *quantum* ab *est* separet, ut aut dicatur *deo-*

Exemplum compositi *obtundo* praebet Amph. 606

....Fáteor nam sum obtúsus 'pugnis péssume.

Vocabulum *omnes* autem, vim habet emphaticam, ut neque abundet, neque, si abesset, desideratur.

rum quamtumst aut *dii*, *quantumst*, nunquam *quantum deorum est;* sic altero loco, ubi haec dictio apud Plautum occurrit (Most. 801) traditur *lucri quidquid est*, non *quicquid lucrist*. Hanc ob rem illud *quicquid est* intactum servandum judico. *Mihi* autem, in versum praecedentem irrepsit, ut legendum sit

Ego éo in macellum ut píscium quicqúid
est <mihi> pretio praestinem

quo remedio simul metrum versus 168 restituitur. Librarius per errorem omissam vocem *mihi*, ubi omissionem animadvertit, in margine apposuit; inde perperam in fine versus praecedentis locum occupavit.

Simili ratione alii versui Plautino auxilium fertur. Cas. 256 in edd. vulgatum est

Véstimentis ubique educat pueros quos
pariat ⏑ —
Pótius quam illo seruo nequam des
armigero [nisi] atque improbo.

Sed unde illud *nisi* in textum veni? At si legas

Véstimentis ubique educat pueros quos
pariat, <nisi>
Pótius [quam] illi seruo nequam des
armigero atque improbo

et totus locus sanatus atque etiam oratio elegantior inde elicita, et corruptelae origo prehensa. *Nisi* ironice usurpatum invenias Men. 993

Nísi quidem vos vostra crura aut latera
nihili penditis

et passim (conf. van Drooge, De Usu Conjunctionis Si in Fabulis Plautinis, Diss. Gron., pag. 28, 29). In fine versus positum est *nisi* Curc. 51/52

Tam a mé pudicast quasi sorer mea sit, nisi
Sist osculando quidpiam impudicior.

Conf. etiam Afr. vs. 129 (Ribb.).

In addenda autem voce *quam* librarii prolixi fuisse videntur; conf. supra pag. 80, Men. 229, Epid. 428.

Eodem modo Capt. 58, 59

Neque míles gloriosus [esse]: ne vereamini
Quia béllum Aetolis <esse> dixi cum Aleis

jam a correctore codicis Camerarii (B^2) sanati sunt.

§ 4. Etíam in vs. 189

Quibus cúnctis montes maxumi frumenti
acervi sunt domi

glossema genuinam vocem pepulit. Iam vocis *acervi* collocatio diversa in libris mss. (A FRVMENTIACERVI, Pal. *acervi frumenti*) eam olim versui suprascriptam fuisse veri simile facit. Similiter Epid. 384 *Cordis copia* explicatur voce *sapientia*, Aul. 695 *impetratum ab eo auferam* verbis *ecficiam tibi*.

Quod Schöllius conjecit *atque ervi*, mentio ervi hic, ubi Ballio de donis, quae die suo natali sibi comportari velit, loquitur, aliena est. Nam pecudibus ervum pabulum erat. Vid. Most 62

Eruóm daturi<n> estis, bubus quod feram?

Magis etiam id apparet e. vs. 126 Casinae, quo loco Olympio Chalino, quo modo eum ruri habiturus sit, describit. Promittit autem conseruo

(126) Post aútem ruri nisi tu aceruom ederis
Aut qúasi lumbricus terram, quod te
postules
Gustare quicquam

nullum jejunium tam jejunum fore, quam ipse eum redditurus sit. Ex contextu quod genus ciborum memoretur, abunde apparet. Hic in *acervum ac ervum* vel ut magis Plautino more scribatur *atque eruom* latere, vix dubium esse potest. Ante *atque* igitur aliud nomen alicujus pecudum pabuli addendum. Collato Pseud. 812

Boves quí convivas faciunt herbasque
oggerunt,

suppleverim

Post aútem ruri nísi tu <herbam>
atque eruom éderis.

§ 5. Vs. 211 critici in nomine unius e meretricibus haeserunt; fuerunt qui quod a cod. traditum est *Xytilis* in *Xystilis* mutaverint; ego malim *Xuthilis*, ab adjectivo Ξοῦθος (flavus) derivandum, quod nomen proprium de viris usurpatum fuisse, satis e tragoedia notissima Euripidis cognitum est.

§ 6. Jam olim Ladewigius (Ztschr. d. Altertumswiss. 1842 pag. 1074) vidit apertissime inter se pugnare ea, quae Pseudolus dicit vs. 385 sq.

'Ad eam rem (sc. ad perficiendum dolum) usust hominem astutum, doctum, cautum et callidum
Qui ímperata ecfecta reddat, non qui viligans dormiat.

et ea, quae Calidorus ad hanc rem respondere videtur (vs. 388):

Paúci ex multis sunt amici homini qui certi scient.

Qui paullo peritior Plautinarum comoediarum est, scit epitheta: *astutum doctum*, *cautum* et *callidum* ad quenquam Calidori amicum pertinere non posse. Neque fieri potest, ut Calidorus verba Pseudoli non satis intellexerit. Tunc enim is aliquo modo se aliud voluisse ostendisset. Praeterea dicit Calidorus vs. 697 ad hunc locum respiciens:

Pseúdolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuom
Benevolentem adducerem ad se

Vs. 390 igitur discrepat a vs. 385 sq., at cum sc. 4 Act. II, vs. 697 sq., congruit.

Hanc inconnitatem viri docti delendis versibus 390—392 tollere conati sunt. Putant, eos additos esse a quodam male curioso, qui finem hujus scenae ita initio II, 4 accommodare sibi videretur. Conf. vs. 697 sq.

Sed mirum sibi fingunt interpolatorem, qui discrepantiam, quae inter exitum sc. I, 3 et initium II, 4 esset, viderit, eam autem, quae addendis versibus 390—392

oreretur inter hunc locum et is 385 sqq. non viderit. Ita profecto ei altera manu tribuunt judicium, altera praeripiunt.

Praeterea vs. 390

Paúci ex multis sunt amici homini qui certi sient

minime olent interpolatorem. Alterum exemplum sententiae ex ethicorum disciplina petitae, quae interpolatori sit tribuenda, in Plauto nemo protulit. Qui autem cognoscere velit, quam saepe discrimen quod intercedat inter veram amicitiam ejusque falsam speciem in Graeca comoedia tractatum sit, adito Leonis librum, qui inscriptus est „Plautinische Forschungen," pag. 114 not. 3.

Hanc ob rem Ladewigius, qui vs. 384—386 spurios habuit, propius ad verum accessisse mihi videtur. In iis sane inconcinnum est, Pseudolum jam hic sibi homine versuto opus esse dicere, cum tamen ante epistolam ab Harpage acceptam illud consilium, quod maxime auxilium alicujus hominis versuti poscit, cepisse nequeat. Quod vero operam amici certi desiderat, id non eandem habet offensionem, quia is ad quodvis propositum utilis esse potest.

A quo autem vs. 384—386, quibus Pseudolus Calidoro imperat, ut non amicum sed hominem astutum sibi comparet, additi esse possunt? Scilicet ab eo, qui scenam, in qua Charinus Simiam Pseudolo adjutorem promittit, quacunque de causa ex argumento sustulerat. Sic aliquo modo explicabatur, unde Simia veniret (IV, 1).

Hi versus igitur additi sunt ab histrionibus, qui in agendo sc. II, 2 omiserant. Spurii autem versus genuinos, in quibus Pseudolus a Calidoro amicum certum petebat, cujus auxilio uti posset, pepulerunt. Quod si recte ponitur etiam initium sc. 4 Act. II, planius et omnibus partibus dilucidius fit. Ibi Pseudolus primo enim dicit sibi eo amico *non amplius* opus esse.

712 sqq.

Ps. Quís istic est? Ca. Charinus. Ps. Euge,
jam χάριν τούτῳ ποιῶ.
Ch. Quín tu siquid opust mihi audacter
imperas? Ps. Tam gratiast
Béne sit tibì Charine: nolo tibi molestos esse nos.

Scilicet epistola militis accepta prius consilium, in quo suae Charino partes assignatae erant, rejecerat.

Possuntne versus 385 sq. — nam 384 aliunde ex hac fabula repetitus in disputationem non venit —

'A'd eam rem usust hominem astutum,
doctum, cautum et callidum
Qui ímperata ecfecta reddat, non qui
vigilans dormiat

alicui histrioni, quod hominum genus in versibus faciendis non magnopere excellebat cum aliqua veri similitudine tribui?

Ad hujus rei disceptationem utile erit haec monere:

1° Adjectiva *doctum* et *callidum* occurrunt in vs. 725, solebant autem histriones, ubi aliquo additamento opus erat ipsius Plauti verbis libentissime uti [1]). Conf. etiam ea, quae in Epimetro ad Cap. I Part. I de duobus Cist. et Poen. locis disputavi.

2° Dictio *non qui vigilans dormiat*, quae Plautinum colorem habet, in sermone populari proverbii loco fuisse potest.

3°. Alliteratio in *cautum et callidum* fortasse etiam ad sermonem popularem est referenda.

Non tamen nego, hos versus elegantiores et majoris limae videri quam ceteros, qui manifesto histrionibus tri-

---

1) Ea dumtaxat ex ipsis locis a se omissis petebant, ut quae pro manibus essent sumpsisse videantur. Minime vero, archaicorum aetatis imperatoriae instar, Plautinorum verborum atque orationis imitatores sunt. Quod etiam suadet, ut fines illius interpolationis histrionum, multo angustiores statuamus.

buendi sint, idque ipsum facit ut dubitanter hanc meam suspicionem propositam velim.

§ 7. De vs. 391 sq., lectio minime constat. Quos cod. A. sic exhibet.

EGOSCIOISTVNCEEGOVTRVMQ.TIBINVNCDELECTVMPARA
EXMVLTISATQ.EXQVIRE[EX]ILLISPAVCISVNVMQVICERTVST
CEDO

Palatini: Ego scio istuc Ps. ergo utrimque tibi nunc
dilectum para
Ex multis exquire illis unum qui certus
siet.

Quae Palatini exhibent, speciem ostendunt lectionis ex turbis Ambrosiani correctae, num ejusdem emendatae, adhuc in dubio. Equidem sicut alibi ita hic vestigia ducis antiqui codicis saepe obscuriora quidem sed fere tutiora quam Palatinorum subsequenda esse puto. Et hic in planum nos ducere potest. Si enim ejus lectio recte scribatur, duorum versuum reliquias hic nobis traditas esse apparet.

Égo scio: istunc ergo utrimque tibi
nunc delectum para
Éx multis: atque exquire..............
.... ex illis paucis unum qui
certust cedo

Sic adhuc melius dispicitur, quo vox *utrimque*, aut, si hoc alii praetulerint, *utrumque* referenda sit. Pseudolus enim dicit Calidoro primo parvum amicorum numerum segregandum esse, deinde ex illis optimum certissimumque deligendum.

In simile quid O. Seyffertus [1]), vir in Plautinis impri-

---

1) Vid. Praef. ed. min. G. et. S. p. VI.
Si non recte intellexi, quae de conjectura Seyfferti G. et S. memoraverunt, veniam peto. Eam conjecturam per epistolam cum iis communicatam esse, inde effeci, quod contra morem suum non adjecerunt, ex quo scripto eam petivissent.

mis versatus, incidit. In lectione Ambrosiani duas recensiones sibi dispicere visus est:

Égo scio istuc: ergo utrumque tibi nunc dilectum para
Éx multis: ex illis paucis unum qui certust, cedo

= { Égo scio istuc: ergo utrumque: tibi nunc dilectum para
Atque exquire ex illis paucis unum qui certus siet. }

Neque in priore lectione quid sit *utrumque tibi nunc dilectum para ex multis* intellego neque in alterius compressa contortione simplicitatem Plautinam agnosco.

§ 8. Vocem *delectum* vero quare omnes rejecerint, non intelligo: nam et bonae et antiquae latinitatis est et in optimo codice tradita. Götzius in ed. maj. nullam mutandi causam affert, nisi quod nos relegat ad Rud. 1279

Périi dilectum dimisit: nunc non censet, quom volo

Sed hic res longe aliter se habet: et comparationis ratio *dilectum* flagitat et in Pal. archetypo eam vocem fuisse plerorumque codicum fides docet.

Sed praeter librorum testimonium aliud in disceptationem vocari oportet. Iam statim falsa est eorum opinio, qui *dilectum* eandem vocem atque *delectum* sed aliter scriptam putent. Sicuti duo verba sunt *deligendi* et *diligendi*, ita duo nomina actionis ab iis sunt derivata *delectus* et *dilectus*.

Diligo unam semper significationem habet *amandi; dilectus* autem loco antiquissimo quo legitur (Rud. 1279 s. l.) declarat *populum ad censum convocatum*. Res ipsa fert, ut hac significatione altera actionem *diligendi* declarans antiquior sit. Ea est in verbis *agere dilectum*. Pro prima significatione verbi *diligendi*, compositi ex *dis* et *legendo*, statuenda est *dirimendi res diversas inter se commixtas secundum genera;* quae etiam inest

in vocabulo antiquo *diribere*, quod natura sua pro causativo est vocis non extantis **diresse*.

Ea significatio in voce *diligendi* significatione amandi adhuc dispicitur. *Diligere aliquem* enim hoc valet: eum *ab aliis distinguere;* e. g. *di te diligunt* valet i. q. *di te non uno cum ceteris ordine habent, di te insigniter praeter alios honore afficiunt.*

Estne ea significatio etiam in voce *dilectus*? Equidem ita censeo. *Dilectus* est *diribitio totius populi secundum classes;* censores qui eam diribitionem faciunt *agunt dilectum*. Vox *dilectus* igitur eo tempore orta esse debet, quo non delecti ex toto populo viri exercitum efficiebant, sed voces *populus* et *exercitus* pondere et ambitu pares erant. Postea *dilectum habere* etiam significationem *exercitus conscribendi* accepit.

Deligere vero declarat *e majore numero unum vel plures eligere; delectus* est *actio deligendi* aut *id quod delectum est.* Posterior significatio in hunc locum (delectum para ex multis) aptissime quadrat. Num voces *dilectus* et *delectus* posteriore tempore, ante barbarorum in imperium Romanum migrationes (nam medio aevo procul dubio confundebantur) confusae sint, tempus mihi defuit ut accurate disquirerem. Plautina aetate certe constat eas separatas fuisse.

Nam quod in cantico nobilissimo Ennii de nave Argo Ribbeckius quidem dedit (Fr. Trag. Rom., Ennii vs. 209):

Argó quia Argivi in ea dilecti viri:[1]

in optimis libris Tusc. Disp. I, 20 est *delecti*, quod Müllerus jure probavit, in antiquissimis cod. Rhet. ad Her. (II, 22, 34) *in eadem lecti viri*, quod tantum ex *in ea delecti (eadē lecti)* natum esse potest.

Luc. Sat. I 23 exhibetur: Hymnidis ex facie florem *delegeris* pulchra; ib XIV, 5 *dilectum* video

[1]) Vir cl. Speyer me monuit, in ed. tertia F. C. L. Ribbeckium jam *de*lecti restituisse.

studiose volgus habere; sed hic vox *dilectus* metaphorice adhibetur, quod vel vox *habere* indicat [1]). —

In statuenda significatione verbi diligendi pro prima significatione verbi *legere* eam accepi, quae in composito *eligere* remansit. Inde significatio, quam postea compositum *colligere* habuit, derivata est. Aliter existimaverunt Bréal et Bailly in libro praestantissimo Dictionnaire Étymologique Latine, pag. 157:

„Au point de vue du sens, il faut distinguer deux acceptions principales: ‚assembler', qui est l'acception primitive, et ‚lire', qui est une acception dérivée. Et paullo infra: „Du sens d' ‚assembler' le verbe a passé à celui de choisir."

Hoc probare noluerim.

a. Primigenia significatio in compositis inesse debet, nisi aetate manifesto inter se differunt; proficiscens autem a significatione *colligendi* nemo composita *diligere, eligere, deligere* sine artificiis explicare potest.

b. Ubi *legere* significationem habet *colligendi*, dispicitur semper aliqua notio eligendi. *Legere flores* non solum est *flores colligere*, sed *ex aliis rebus quaerendo et eligendo colligere.* Nec non similiter res se habet in Graeco λέγειν: Ψ, 239

ὀστέα Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο λέγωμεν
εὖ διαγιγνώσκοντες.

Comp. praeterea ω, 107; B. 125 et passim apud Homerum. Etiam in compositis ἀναλέγειν, ἐκλέγειν, συλλέγειν haec significatio *eligendi* praevalet.

c. *Explicatio legendi* i.e. *recitandi* notione *colligendi litteras atque voces* falsa est. Si litterae colliguntur non ideo noscuntur. Tantum si addideris *cum recognitione colliguntur*, i.e. si eam verbo significationem dederis,

[1]) In loco Plautino metaphora inesse nequit: non enim dicitur *dilectum parat* censor, sed aut *agit* aut *habet.*

quam quomodo acceperit explicandum est, vera erit haec explicatio.

In verbo *legendi* significatio recognoscendi certa signa, quae est in Graeco ἀναγαγνώσκειν, inesse debet. Hoc ad hominum incultorum intellectum accommodatum est. Conf. Pseud. vs. 25 sq.

Hasquidém pol credo nisi Sibulla *legerit,*
Intérpretari | alium posse neminem.

Legere igitur primitus significaverit necesse est *rectam interpretationem alicujus signi eligere.* Similiter ex significatione *eligendi* nostrum *lezen* aliam *recitandi* procreavit.

Quod dixi *diligere* semper significationem *amandi* habere, id cum loco Titinii (Ribb. Fragm. Com. Lat. pag. 145)

Pernam totam diligit

ubi Nonius (ed. Müll. p. 456) *diligit dividit*, pugnare videtur. Sed significatio, quae vox hoc loco haberet, facit ut valde dubitem, annon genuina sit. *Diligere* non potest significare i. q. Graecum μιστύλλειν. Latine id esset *dissecare* vel fortasse *dissicere*, quam formam insolentiorem sed satis probabilem Curc. 423

Clipeátus elephantum ubi machaera dissicit

exhibet. Vide ne causa erroris in libris Nonii, qui etiam in loco Plautino laudando *diligit* praebent, in eo posita fuerit, quod ſ longa in vocabulo *disicit* per unam *s* scripto, ut semper fit in *disertus*, scribam archetypi in errorem induxerit ut pro ſ exararet *l*.

Dirigere significatione *dividendi* vel *dissecandi*, quod Paulus Diaconus (Fest. ed. de Ponor pag. 49) testatur Plautinum fuisse, potest ex *dis* et *agere* formatum esse; verum cum propter quantitatem (*dirigit* at *dirimit*) tum propter sensum et a versu Plautino et a Titiniano alienum est.

§ 9. Vs. 395 sq.

Quid núnc acturu's, postquam erili filio
Largítus dictis dapsiles, ubi sunt ea?

In posteriore versu A LARGITVS exhibet, quod in *largitu's* Lambinus correxit. In versus fine magis laboratum est. Ritschelius pro *ubi sunt ea* conjecit *lubentias.*

Haud pauci eam conjecturam comprobaverunt, quippe quae a Ritschelio profecta esset, nam veri similitudinem nullam habet; Götzius in ed. maj. etiam in textum recepit. In minore tamen verbis non mutatis posteriori versus parti G. et Sch. crucem appinxerunt. Hoc et verius et utilius: nam illa conjectura Ritschelii, praeterquam quod a litterarum ductibus longius recedit, tantum archaicorum auctoritate nititur; e. g. Gell. N. A. XV, II, 7. *Nam cui libentiae gratiaeque omnium conviviorum incognitae sint*...; Plautus ipse tantum singularem numerum habet; As. 268

Út ego illos lubentiores faciam quam
Lubentiast

Stich 276

Itaque onustum pectus porto laetitia
lubentiaque.

Dubitari autem potest num archaicorum peritia antiquae linguae ita subtilis fuerit et considerata, ut de talibus rebus minutis, utrum abstractum plurali numero usurpatum esset necne, aut de proprio verborum colore iis credere possimus. Vel Luciani exemplum nos docere debet etiam acutissimos sermonis alicujus vetustioris imitatores saepe contra eum peccare solere.

Lipsius proposuit *dicta es dapsilia*, Lambinus *dapsilia es;* qui ut saepe verum tetigit, ita hic prope accessisse videtur.

Pompon. fr. 161 adverbium *dapsile* exhibet:

α. Quid núnc vis fieri? β. Verrem sume
dapsile ac dilucide,

quod tutatur auctoritas Suetonii *Vespas.* 19 *Sed et convivabatur assidue, ac saepius recta et dapsile, ut macellarios adjuvaret.*

Hinc proficiscens in *dapsiles dapsile es* latere suspicatus totum locum sic refingo:

Quid núnc acturu's? Postquam erili filio
Largitus dictis dapsile es, ubi sunt ea?

i. e. postquam dictis erili multa promisisti, ubi sunt ea, quae dictis respondeant?

Largior ablativum (instrumenti sc.) adjunctum habet et nostro loco et Pers. 265

Nunc amico homini binis domitis mea ex
crumina largiar.

Versus corruptus quidem est, sed ad ejus initium corruptelam non pertinet. Vocabulum *nunc* nisi fallor ex vs. 263

Núnc et amico prosperabo et genio meo
multa bona faciam

huc illatum vocem *homini* suo loco exturbavit, ut legendum sit:

hómini amico binis domitis mea ex
crumina largiar [1]).

Probabile existimo, verbi largiendi constructionem, qua ablativum instrumenti adjunctum habeat, ea, qua accusativum, antiquiorem esse. Adjectivo *largo* enim ad analogiam verborum et adjectivorum copiam declarantium, ablativus ejus rei, qua largus sis, adjungitur; e.g. Asin. 598

opera ut largus es nocturna

Significatio autem propria verbi denominativi *largiri* fuerit *largum esse* sive *largiter agere* necesse est; sua natura igitur et origine constructionem adjectivi *largi* sequitur. Cum vero significationi verborum *dandi* paullatim

---

1) *Bini* propter vs. 317

Quia boves bini hic sunt in crumina

mutare non ausus sum. Conjectura Sonnenscheinii Class. Rev. a 1892, p. 40) in vs. 265 *homini ibus* proponentis ideo est rejicienda, quod, si vocabulum *bini* sepravatum sit, vs. 317 et 265 pro eo vocabulo idem substituendum. Si inde profectus sis auctoritatem cod. A *bini* vs. 317 tutari, *bimi* haud inepte conjeceris, quod a ductibus vocabuli *bini* paullulum modo declinat et de bubus destinatis ad arandum (*domitis*) apte usurpari poterat.

magis magisque appropinquaret, etiam eorum constructionem recepit.

§ 10. Vs. 480

Quod scíbo Delphis tibi responsum dicito

Ritschelius *ducito* dedit, quod et Lorenzius et Götzius in edd. receperunt. Nescio an non recte; nam mihi alii loci in Plauto inesse videntur, qui huic conveniant.

Vs. 826 sqq.

Ba. Quid tú? divinis condimentis utere,
Qui prórogare vitam possis hominibus,
Qui ea cúlpes condimenta? Co. *Audacter dicito*
Nam vél ducenos annos poterunt vivere.

Similiter Epid. 16.

(Ep.) Te ésse equidem hominem militarem.
Th. Audacter quamvis dicito.

Ubi *audacter dicito* significationem habere fortiter affirmativam ex utroque loco clare apparet (vernacula lingua *dat geloof ik*, *daar kun je op aan*). Significatio verbi *dicito*, quam vs. 828 habet, non magnopere inde differt. Lenoni ea nominanti, quae in nullius coqui artis instrumento inesse possunt, coquus respondet: *audacter dicito*, *i. e. ea de mea arte tibi praedicare licet*, *nam ejus propria sunt.* Vs. 480 Pseudolus simili modo dicit de suis responsis Simoni praedicare licere ea Delphis data esse.

Dicere utroque loco declarat *aliquid alics. rei proprium praedicare.* Puto in sermone mercatorum hanc significationem provenisse, cum mercator, de bonitate proprietatibusque alicujus mercis ab aliquo interrogatus, in responso saepe usurparet *dicito* (sc. si alii rursus vendere velis) haec vel illa ejus propria esse, ut e.g. alteri roganti, num bos domitus esset, quotumque annum ageret, audacter dicito; ‚eum jugo assuetum et tres annos natum' responderet. Inde usus hujus dictionis facile latius manare potuit. Exempla autem hujus primariae significationis rara esse, in tanta inopia documentorum litterariorum ad vitam qotidianam Romanorum pertinentium nemo mirabitur.

§ 11. Pseud. vs. 524—545.

Hic locus compluribus corruptelis inquinatus ad interpretationem argumenti sane alicujus momenti est propter quaestionem eo nitentem, utrum dolus Pseudoli in eo positus sit, quod Simonem ad promissum adduceret, se virgine abducta viginti minas daturum esse, an Simo admiratione quadam sua sponte et viginti minas promiserit et post abductam Phoenicium pependerit. Nam in utramque partem a viris doctis disputatum est.

Ritschelius (Op. II pag. 769) acerbissime in Spengelium invectus est, quod is in prima scena Actus II Pseudolum de duobus consiliis loqui dixisset, alterum aggrediendi lenonis, alterum Simonis, ideoque opinionem Ritschelii hoc loco dittographiam e glossematis ortam statuentis, improbasset. Se priore judicio stare „das kein Sinn und Menschenverstand in der Unterscheidung eines zweifachen Angriffs sei"; Simonem argentum ultro promisisse, ultro in fine fabulae Pseudolo manibus dare. Discipuli vero haud pauci et hic in verba magistri juraverunt. — Afferam aliquos locos Plautinos:

Pseudolus vs. 691 sq. postquam pactum cum Simone jam iniit, gloriatur

núnc ego hac epístula
Trís deludam: erum et lenonem et qui mihi hanc dedit epistulam

quod confirmant vs. 704 sqq.

Quaere quoi ter .... trina gaudia
Ártibus tribus ter demeritas dem laetitias *de tribus*
Fraude partas

Nullum dubium reliquum facit vs. 1324

Neque té mei tergi misereret, hoc si non hodie ecfecissem

Sic igitur summa argumenti explicanda est: Pseudolus astu rem tractans Simonen pellexit ut secum pactum iniret, quo servo viginti minas daturus esset, si virginem per dolum a lenone abduxisset, ipse autem si minus perfecisset, nullam causam allaturus esset, quin erus omnia se faceret atque haud breve in tempus in pistrinum se mitteret.

Itaque recte Spengelius contenderat, Pseudolum Act. II, sc. I animum fallendi et erum et lenonem ostendere. Conf. vs. 584 sqq.

Núnc inimicum ego hunc communem meum atque vostrum | omnium
585a Bállionem exballistabo lepide: date operam modo;
585b: (Hóc ego oppidum admoenire ut hodie capiatur volo)
585b Atque huc meas legiones adducam: si expugno facilem hanc rem meis civibus faciam
Post<íd>ad oppidum hoc vetus continuo meum exercitum protinus obducam [1]),
Inde me ét simul participis omnis meos praeda onerabo atque opplebo.

Praeterea ambigitur, quomodo Pseudolus Simonem ad imprudens illud promissum adduxerit. Ea quaestio tota in hoc nostro loco posita est. Lorenzius rem sic exposuit: Pseudolus Simonem audacia eorum, quae se facturum profitetur stupefacit; primo se ab ipso quanquam rei certiore facto tamen pecuniam impetraturum, deinde

[1]) *Post < id >* scripsi ad restituendum metrum anapaesticum.
, Versum praecedentem sic legendum proposuerim:
Atque huc meas legiónes adducám: si expugno hanc rém meis
Fácilem faciam civibus
Vs. 585b etiam alibi in hac fabula occurentem (vs. 384) uncis rotundis saepsi, quominus expellerem, contextus prohibuit.

etiam virginem abducturum esse. Simo eum vane gloriari putans, tentat, serione ita praedicet, audeatque condicionem accipere, si rem minus perfecerit. Accipit servus, sed contra Simoni condicionem fert, si perfecerit. Simo rursum eam recusare non potest. Callide igitur servus rem ita instituit, ut per ipsam stipulationem altera promissi parte solveretur — promiserat enim et argentum se impetraturum et virginem se abducturum — nunc stipulatur hac re perfecta Simonem viginti minas sua voluntate sibi numeraturum esse. Ita illa res jam una abductione Phoenicii constat.

Talem verborum captionem in hoc loco inesse Langenus [1]) negat. ‚In verbis *si effecero* (536) objectum deficere, id igitur ex praecedentibus supplendum; et *effecero* igitur et *faxis* (533) idem objectum habere quod *perfeceris* (531); cogitatione igitur supplendum esse vs. 536 *si istaec opera effecero, dabin tu tua voluntate mihi argentum?* Id autem absurdum esse, nam sic dicere Pseudolum, *si argentum a te per dolum abstulero, dabin mihi argentum?*

Sed Langenus praetermisit sermonem esse tanquam fluvium semper novam aquam afferentem, quae allatam rursus propellat; sic recens dicta antiquiora propellere, in loquendo ante dicta non diu teneri. Inter vs. 536 et vs. 531 nimis multa interposita sunt, ut huic supplendo ille adhibeatur; cum praesertim ex ipsis verbis

Sed si effecero
Dabín mihi argentum quod dem lenoni ilico

quid cogitatione supplendum sit, satis sit perspicuum.

Etiam praetermisit, talem captionem non tam miram esse in argumento, quod excogitavit poeta oriundus e

[1]) Conf. Plaut. Stud. pag. 361.
Quod vero sollicitat *istaec opera* ideo, quod versu praecedenti *utrumque* dictum est, id est quod ajunt in scirpo nodum quaerere. Istud vocabulum *opera* enim significat *ea magna*, *quae praedicas*, *facinora* neque sollicitandum esset, etiamsi de una re usurpatum foret.

terra, in qua olim sophistae floruissent, ubi cum scriberet adhuc dialectica floreret. Cavillationes autem philosophorum multimodis in comoediis et tractatas et irrisas esse etiam parvae ejus reliquiae satis docent; conf. e.g. argumentum comoediae nobis traditum a Numenio, Praep. Evang. XIV, 7 (Kock Fr. Com. Gr. pag. 411 sqq.)

Nunc jam de singulis hujus loci versibus breviter disputandum.

Langenus vs. 529

Ea círcumducam lepide lenonem <et>
quidem

conjecturam Acidalii, *<et> quidem* pro *quid ē* librorum non necessariam duxit. Jure, si vs. 930 spurium esse nobis probasset. Quod cum non fecerit, libenter Acidalio pro emendatione et sententiam adjuvanti et a librorum traditione paene nihil recedenti gratias agimus. Quid enim inter

lenonē & quidē et *lenonē ɑ. quid ē*

interest? In tam parvo discrimine ratione non oculis dignoscitur, quid verum sit.

534 (num quid causae est)

Quin te ín pistrinum condam. Ps. non
unum quidem diem modo
Verum hércle in omnes quantumst.

Libri verba *non unum quidem diem modo verum* sine versuum distinctione continuant. Sed majuscula codicis B in voce *Verum*, unde novus versus incipiat, docet. Haec ipsa autem continuatio indicio est, locum esse interpolatum; quod metrum confirmat.

Acidalius delevit *condam*, ut versus fieret:

Si númquid causaest ílico
Quin te ín pistrinum —? Ps. Nón unum
quidem díem modo

qua recepta conjectura numeri asperiores fiunt, sententia autem me auctore melior elicitur quam Bothii, quae a Ritschelio probata est:

Quin te ín pistrinum condam. Ps. Non
unum <in> diem

cum praeterea vox *quidem* minime glossatorem olet.

Sed in utramque conjecturam cadit vituperatio, illam vocem *diem* contra omnem sensum servari. Quodnam poenae genus sit, quo servi per unum diem in pistrinum dentur? Immo sensus flagitat, ut Pseudolus dicat: „non mediocri poena me afficito, verum una omnium gravissima". Itaque qui fieri potuerit, ut nemo *diem* sollicitaret, non intelligo. Hic auxilium ferunt verba Sagaristionis in Persa (vs. 21 sq.)

Plusculum annum
Fui práeferratus apud molas tribunus
vapularis.

Restitue *annum*, genuina lectio emicabit

Quin te ín pistrinum condam? Ps. Non annum quidem [diem modo].

Voce *unum* semel in *annum* depravata, *diem* est additum; *modo* interpretamentum vocis *quidem* est, cujus vis vera atque antiqua posterioribus temporibus minus intellegebatur.

541 Qui me argento circumvortant. Ps.
Quis me audacior

Fleckeisenus conjecit *intervortant*; et hac voce quidem apud Plautum satis usitata metrum restitui potest; sed ita non explicatum est, unde illud *circum* venerit. Suspicatus igitur sum ex duplici lectione turbas natas esse:

Qui argentum circumveniant.
Qui me argento interuortant.

Utra potior sit, disceptare non ausim; altera vox apud Plautum pervulgata est, altera e re militari desumpta, unde multas dictiones comparationesque Plautus hausit.

Vs. 543*a* sq.

Si sumus con[s]pecti seu consilium unquam
iniimus de istac re
Aut si de ea re unquam inter nos conveniamus.

Conspecti jam ab Acidalio correctum est; *ſp*, *ſ* et *p* saepius in libris Plautinis confunduntur, conf. Rud. 145

Cererém te meliust quam Venerem s[p]ectarier.

Bothius restituit *ini(i)mus*, delevit *de istac re*. Hoc quidem perperam. Necesse enim est, e duobus *de ea re* et *de istac re* alterum sit glossema; cum *de istac re* et metro accommodatum sit et versui praecedenti *(istuc facinus)* respondeat, *de ea re* pro glossemate delendum est.

In *conveniamus* viri docti errorem librarii nimis magni fecerunt, Schöllius etiam *conieravimus* ausus est. Nihil autem hic habemus quam *conuenimus*, quod lapsu calami in CONVENIMMVS abiit, hoc rursum prave lectum nostram scripturam dedit. Plane similem lapsum offendimus in Argumento I hujus fabulae, vs. 6, ubi codd. tradunt *Sinimiae* i. e. *Simmiae* pro *Simiae*. Quam quoque facile erat in litteris NIM, ut librarii errarent! Non dubito igitur quin scribendum sit

Aut sí de istac re umquam inter nos convenimus.

Inter ea, quae Langenus attulit ad confirmandam suam opinionem, in vs. 531 pro *istaec opera* legendum esse *istec* (addito post *ut* pronomine *tu*), etiam antiquum illud Kiesslingii contra librorum lectionem argumentum (Rh. Mus. XXIII pag. 421) repetivit, vocem *opera* significatione *facinorum* praeditam apud Plautum praeter hunc locum nusquam inveniri.

Hoc tam rectum est, quam est pravum, inde argumentum contra hunc locum petere.

Pluralis numeri *opera* bis apud Plautum occurit (nam prol. Cas. 7 posterioris aetatis est): Men. 426 sq.

Pállam illam quam dudum dederas, adphrygionem ut deferas

Út reconcinnetur atque ut *opera* addantur quae volo.

Most. 828.

Nón enim haec pultifagus opifex opera fecit barbarus.

Utroque loco igitur de opificio usurpatur.

Alteram vero significationem *facinoris* pariter Plautina aetate jam viguisse docet fragmentum Caecilii Statii 167 (Fr. Com. Lat. ed. Ribbeck)

Properátim in tenebris istuc confectum est opus.

Ergo rationem damnandi vocabulum *opera* (vs. 531) ut a Plauti sermone alienum, equidem non probaverim. Sed ejusmodi levitas quaedam judicandi in ἅπαξ εἰρημένοις non semel usurpatur. Multi viri praestantes haec, quae tamen ad artem criticam gravissima sunt, saepius negligebant:

1°. Perparvas reliquias de toto Latinarum litterarum thesauro nobis esse servatas, ut de nullius fere verbi antiquitate certum judicium ferre possimus neve alicujus significationis aetatem, quando primum usurpari coeperit, satis certo statuere nobis liceat.

2°. Quemque scriptorem quaedam habere sibi propria: alias voces in deliciis habere, alias respuere, cum tamen ad universum ejus aetatis usum non ita multum inde concludi queat. Fieri potuisse ut idem ob causas, quae ipsis illis quibus scripserit temporibus ab aliis erui vix potuissent, nedum nostris tam longe remotis, a sua ipsius solita scribendi ratione et verborum usu nonnumquam declinaret et voces ceterum a se non usitatas adhiberet.

Qui hoc accuratius cognosse velit, aliquem nostrorum temporum poetam cujus orationem atque verba cum ceterorum aequalium comparare licet, id agens inquirat. Hic monuisse sat erit, quot ἅπαξ εἰρημένα inveniantur in Homero, quot etiam in Shakspeario, nec non offendi talia in Vergilio, in Ovidio.

Sed siquis data opera tabulas vocum atque dictionum in Plauto rarius occurentium confecerit, quantum etiam de nostro poeta valeant, quae supra dixi, magis etiam ei apparebit.

Hic pauca tantum exempla afferam.

Pro solito *quantumst*, *quidquid est* bis in Plauto occurrit: Pseud. 169, Most 801 (*quantumst* semel apud Terentium invenitur, Phorm. 853).

Jus jurandum semel ordine inverso a Plauto usurpatur, Pseud. 197.

Delectus semel apud Plautum occurrit, Pseud. 391.

Dilectus semel apud Plautum occurrit Rud. 1279.

Simultas tantum occurrit Pseud. 284.

Vinnulus apud Plautum tantum occurrit As. 223.

Theatrum semel apud Plautum occurrit: Pseud. 1081 (Conf. Cap. II, § 13 not. 2).

Insegestis tantum Truc. 314 occurrit.

Gravastellus tantum occurrit Epid. 620.

Grallator semel invenitur Poen. 530.

Aoristi in *-s* haud paucae formae a verbis, quorum stirps in litteram consonantem desinat, semel inveniuntur.

§ 9. In Act. II, sc. 4 initio Palatini duos versus exhibent, A omittit, quos critici fere omnes spreverunt. In ed. maj. Götzius eos etiam ejecit, in minore uncis quadratis circumclusit. Nemo quod quidem sciam operae pretium duxit ea, quae in iis manifesto corrupta sunt emendare. Sed tamen abstersis temporum sordibus non tam mali sunt, immo digni, quorum editores rationem habeant.

In B autem sic servati sunt

Ca. Quom haec tibi alia sum elocutus, vis
scires si scis de symbolo

Cha. Omnia inquam, tu modo quid me fa-
cere vis fac ut sciam.

Prioris versus alterum hemistichium corruptum est. Primo illud *uıſ*, dittographia syllabae *tuſ* delendum, deinde ex *ſcıreſſıſcıſ* elicienda sunt genuina *ſcire ſıſ*, quae dittographia et confusione in textu Plautino frequentissima verborum *sis* et *scis* obscurata sunt.

Maxima offensio adhuc restat: sc. illud *symbolo*. Nam quomodo Calidorus hic quicquam de symbolo scire po-

test, qui in insequentibus demum cognoscat, Pseudolum id intervertisse?

Ex hac difficultate vs. 15 argumenti II nostrae fabulae nos expedit. Ibi enim codices pro PSEVDOLO SEVDVLO tradunt. Eadem hic vox paulo magis corrupta *symbolum* peperit; nam SVDVLO nisi fallor a librario in SVBVLO mutatum est (conf. *symbulum* vs. 55, 57).

Paullo nitidiores igitur versus sic exhibeantur:

Ca. Quom háec tibi alia sum elocutus, scire
sis de Pseudolo —

Cha. Ómnia inquam tu modo quid me facere
vis fac ut sciam.

Sis pro *si vis* positum etiam occurrit As. vs. 309

Sís amanti subvenire familiari filio.

Fac ut adjuncto conjunctivo invenitur ib. 824

Tu ergó fac ut illi turbas, lites concias.

Hi versus autem lectionem pleniorem efficiunt versus 696*a*

Cómmemini omnia: id tu modo me quid vis
facere fac sciam.

Quanquam utra potior sit recensio, nondum disceptare audeo, puto in universum rationem, qua Plautinae fabulae per prima post poetae mortem traditae sint, nos adducere debere, ut pleniores brevioribus recensionibus praeferamus.

Cum hoc negligentes tum auctoritate Cod. A seducti etiam aliis locis viri docti versus sine dubio genuinos ut posteriorum additamenta spreverunt.

In soliloquio Syrae (Cist. vs. 120 sqq.) G. et S. tria versuum genera in editione sua distinguunt: unum ipsius Plauti, secundum, quod uncis rotundis saepserunt ut histrionibus vel potius posteriori, quam ajunt, recensioni tribuendum, tertium, quod prorsus damnarunt, uncis quadratis circumclusum. De secundo versuum genere supra (cap. II § 13) jam disputavi; videamus autem, quae illis omissis restent.

Vs. 120 sqq.

Idem míhist quod magnae parti
vitium mulierum

Quae hunc quáestum facimus: quae ubi saburratae sumus,
Largíloquae extemplo sumus, plus loquimur quam sat est.
Nam illánc ego olim quae hinc flens abiit paruolam
Puellám projectam ex anguportu sustuli.
125 Quin égo nunc quasi sum onusta mea ex sententia
Quiaque ádeo me complevi flore Liberi —
Magis líbera uti lingua conlubitumst mihi:
Tacére nequeo misera, quod tacito usus est.

Caecutientis est non primo obtutu videre versus quattuor extremos ante ‚Nam illanc — sustuli' collocandos; deinde vocabulum *quiaque* in vs. 126 positum indicare videtur etiam in versu praecedenti (vs. 125) *quia sum* legendum esse; *quasum* enim facile dare potuit *quasisum*. Totúm locum igitur sic refingo:

120 Idem míhist quod magnae parti vitium mulierum
121 Quae hunc quáestum facimus: quae ubi saburratae sumus
122 Largíloquae extemplo sumus, plus loquimur quam sat est.
125 Quin égo nunc quia sum onusta mea ex sententia
126 Quiaque ádeo me complevi flore Liberi,
127 Magis líbera uti lingua conlubitumst mihi,
128 Tacére nequeo misera quod tacito usus est.

123 Nam illánc ego olim, quae hinc flens abiit, paruolam
124 Puellám projectam ex anguportu sustuli

Versus sic emendatos ordinatosque ad unguem Plautinos esse nullus dubito. Nam Plautini stili proprium est, in hujusmodi enuntiationibus primo sententias generales praefari, deinde eas in rem personamve de qua agitur applicare. En pauca exempla.

Rud. vs. 920 sqq.

Nimís homo nilist quist piger, nimisque id genus odi ego male.
Vigiláre decet hominem qui volt sua temperi conficere officia:
Nón enim illum exspectare oportet, dum erus se ad suom suscitet officium.
Nám qui dormiunt libenter, sine lucro et cum malo quiescunt.
Nám ego nunc mihí qui ímpiger fuí,
Ré<p>peri ut pigér sí velim siém.

In sequentibus rem explicat: se vidulum invenisse.

Pseud. 1103 sqq. (loquitur Harpax, servus militis):

1103—1110 mores servorum improborum describuntur;

1111—1115 ipsum aliter facere dicit; etsi erus absit, eum adesse arbitrari;

1115 sqq. redit ad argumentum, se non a Pseudolo ex taberna arcessitum qs.

Most. 858 sqq. (loquitur Phaniscus advorsitor):

858—865 malos servos imperium erile negligere; deinde aufugere; multis modis sibi malum parare;

866—879 ipsum probitate et obsequio ut sibi cutis integra maneat curare;

880 sqq. ad propositum redit.

Conf. etiam Trin 301 sqq., Rud. 1193 sqq., Stich. 641 sqq., Amph. 633 sqq.

Simili modo hic Syra vs. 120—123 postquam expo-

suit lenas ebrias esse multiloquas, 126—129 narrat ipsam adeo vini plenam tacere nequire; inde a vs. 130 argumentum enarrare incipit.

Locus ideo notabilis est, quod certo demonstrat ad constituendum nostrum textum Plautinum recensionem breviorem adhibitam esse, postea in margine locos aliquos ex recensione pleniore additos esse. Ad eandem rem pertinere quod Pal. nonnullos servant locos qui in Ambrorians non exstant, jam supra sententiam meam exposui (Cap. II § 18, p. 80).

Fortasse etiam Poen. 456^b sq. injuria damnantur, quae Palitini soli exhibent:

Q u o n i á m l i t a r e n e q u e o', a b i i i l l i m i l i c o
I r a t ú s, v o t u i | e x t a p r o s i c a r i e r,
[N e q u e e a p i c e r e v o l u i: q u o n i a m n o n b o n a
H a r u s p e x d i x i t, d e a m e s s e i n d i g n a m c r e d i d i]

Versus corrupti quidem sunt, sed ob hoc solum non damnandi; saltem conemur, an situm detergere possimus. Illud *picere* levi opera sanari potest; legendum enim *proicere*, quod corruptum est pro *porricere* quod viri Plautini librorum fidem nimis anxie sequentes *poricere* edere solent. In altero versu bis eadem littera damnanda est; nam si scripseris *dea indigna* omnia melius procedent.

N e q u e é a p o r r i c e r e v o l u i: q u o n i a m n o n b o n a
H a r ú s p e x d i x i t, d e a e s s e i n d i g n a c r e d i d i

Sic correcti jocum Plauto non indignum exhibent. Nam leno, quod hominum genus nihil fas habet, irrisit Venerem, quod haruspex exta non bona esse (ie. non bonum portendere) dixit, se Veneri porricere noluisse, quippe quae mala atque dea indigna essent [1]).

1) Impedimento est, quominus versus sic sanos habeamus zeugma insolentius quo *esse* ad *bona* ex sequentibus *dea esse indigna credidi* peteandum est. Vide tamen ne in loco alioquin corrupto potius medela requirenda sit quam ad illud ultimum remedium resecandi refugiendum.

Actionis autem sacrificandi partes sunt duae, altera prosecandi, quod non faciebat is, qui sacrificabat, sed cultrarius, altera porriciendi, quod sollemne erat, ut is qui sacrificabat ipse faceret. Leno igitur hic summam adversus deos impietatem ostendit. Non aliter Ballio vs. 265 sqq:

N a m s i s a c r i f i c e m s u m m o J o v i
'A t q u e i n m a n i b u s e x t a t e n e a m u t p o r i c i a m, i n t e r e a l o c i
S í l u c r i q u i d d e t u r, p o t i u s r e m d i v i n a m d e s e r a m.

§ 10. 762
'A v i s i n i s t r a a u s p i c i o l i q u i d o a t q u e | e x s e n t e n t i a

Quoniam talis hiatus, qualem hic habemus fere sine exemplis in Plauto est et praeterea constat vocalem brevem in fine vocabuli ante vocales elidi solitam esse, necesse est aliquid excidisse. Bothius dedit *atque mea ex sententia* conjectura magis levi quam probanda. Nam ἰδίωμα Latinae linguae fert, ut dicatur aut *ex sententia* aut *ex animi sententia*. Bentleius igitur dedit *atque ex animi sententia*, quo tamen vitii origo non satis explicatur. Hanc ab rem ea conjectura paullulum mutata maluerim:

a n i m i q u e e x s e n t e n t i a,

ut in ATQUE adhuc extrema pars ANIMIQVE lateat.

§ 11. Vs. 1022, 1023
S i o c c á s i o n e m c á p s i t q u i s i t m a l u s.

Ussingius conjectura admodum infelici *qui sit mihi malus* dedit. Ita Pseudolus enim diceret, erga se potissimum Simiam malum ingenium ostendere. Dativus commodi ut vocabulo *malus* adjunctus inusitatior est, ita majorem etiam vim habet; conf. Bacch. 660.

B o n u s s í t b o n í s m a l u s s í t m a l í s.

Sententia aliud tamen flagitat, scilicet Pseudolum dicere non a natura Simiae alienum esse, ut opportunitatem nactus

in ipsum se convertat. Itaque conjunctionem explicativam, velut *nam*, *enim* vix deesse potest. Inde proficiscens legendum censeo:

<quippe> qui malust

St in fine versus ut saepius in Palatinis in *sit* mutatum locum ante adjectivum, cui enclitice applicatum est, occupavit. De Indicativo Conf. Ep. 611

Str. Hábe bonum animum. Ep. Quippe ego quoi libertas in mundo sitast.

§ 12. Vs. 1164 sq.

Si Héus, memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare:
Cómmune istuc esse oportet. Ba. Quid malum? id totum tuomst.

Ita G. et Sch. in ed. min. hos versus exhibuerunt. Sed mihi non placent neque Ritschelio videntur placuisse. Nam haec quidem lenonis liberalitas ab ejus ingenio omnino aliena est. Quod enim Simoni viginti minas stipulatione promiserat, id fecerat cum certa exspectatione fore ut eae sibi numquam solvendae essent. Sed hic Simoni dimidium accepti boli roganti ad totum donandum paratum se ostendere non est Ballionis, ne dicam lenonis.

Quod autem Ritschelius dedit: *Ba Quin malum totum tuomst* id tam Plautino stilo aptum, ut in textum esset recipiendum, nisi via faciliore eodem perveniri posset. Si enim legeris:

Cómmune istuc esse oportet. Ba Quid, malum? <Si> Id totum tuomst.

locus ita sanatus, ut nemo cum Plauto indignum judicare possit.

§ 13. Vs. 1196.

(Ha) Quem égo hominem nullius coloris novi. Ba. Non tu istinc abis.

Recte Leo dicit, neminem haec unquam aut intellexisse aut intellecturum esse, neque mente capio, quo modo viri imprimis Plautini et abundanti acumine atque ingenio,

Götzius et Schöllius, in editione his solitam suam crucem appingere supersedererint.

Ad emendandum viam munit Epid 496

Fando égo istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem

Ubi Geppertus ab omnibus probatus emendavit *istuc* nomen. Voces NOMEN et HOMIN(Ē) facile confundi poterant [1]). Hac voce restituta vocabulum *quem* abundare et, quod in initio versus saepius in Plauto accidit (conf. Most. 204 sq.), ex praecedenti versu irrepsisse apparet.

Sed si semel restitueris

Égo nomem nullius coloris novi. Ba. Non tu istinc abis?

jam *nullum eius* se ipsum offert (A habet tantum litteras NV....S). Ita versus jam nitidior atque dilucidior exhibetur:

Égo nomen nullum eius coloris novi. Ba. non tu istinc abis?

§ 14. Corollarii loco pauca addam quae, si quaesiveris, quam rationem Plautus in exprimendis exemplaribus Graecis secutus sit, gravissima, nec non sine momento sunt ad chronologiam exemplaris Graeci, quod Plautus hic vertit.

Vs. 412 sq.

Ex hóc sepulcro vetere viginti minas
Effódiam ego hodie, quas dem erili filio

alluditur ad thesaurum, qui inveniatur in sepulcro. Comparatio nimis longe petita et inepta nisi aliud quid latet. Non solent enim in sepulcris thesauri inveniri. Posset cum arca senem contulisse, aut cum crumina, aut quod Epidicus facit cum agro (Ep. 306 sq.)

---

1) E et I confunduntur ut saepe, ita Ps. 288 (SVRRVPERIS pro *surruperet*) 303 (PERDET pro *perdit*), 643 (FEBREM pro *febrim*).

Nullum ésse opinor ego | agrum in agro | Attico
Aequé feracem quam hic est noster Periphanes

sed illa sepulcri imago per se mira videtur. Lucem affert argumentum Θησαυϱου Menandri, quod ad Prol. Terentianae Eunuchi Donatus breviter enarrat. Ea, quae huc referre censeo, apponam:

Adulescens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus adparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post decimum annum caverat sibi inferri. Sed eum agrum in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adulescente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, thensaurum cum epistula ibidem reperit.

Ad eam Menandri comoediam, ni fallor, his versibus respicitur. Thesaurum autem Menandri intra annos 310 et 308 ante Christum natum in scenam productam esse, viri docti probaverunt; ergo ad non multo posterius tempus Graecum exemplar ejus partis Pseudoli, quam littera S designavi, referendum est. Eo convenit nomen Agathoclis memoratum vs. 532; hunc enim post bellum Carthaginiensibus illatum clarum factum esse, veri simile est. (a° 314 a. Chr. n.).

Quod in altera fabula Graeca, quam Plautus in Pseudolo expressit, Sicyone miles Macedonius venit, suadet, ut eam ante annum 303 scriptam esse ponamus. Tunc enim Demetrius Poliorcetes Graeciam a Macedonum potestate se vindicare simulans, praesidium Macedonum Sicyoni datum oppugnavit et urbem delevit. Ante quod tempus milites illos, qui sua insolentia atque ineptiis odium Atheniensibus movebant, inde saepe Athenas venisse, quae urbs priorem magnitudinem nondum omnino perdidisset, praeter hanc fabulam Σικυώνιος Menandri docere potest.

De scriptoribus utriusque fabulae disputare valde ambiguum est. Tamen in ea re quoque aliquid periclitari libet.

Ea fabula, quam littera S designavimus, vel ideo, quod tam parvae ejus reliquiae in Pseudolo supersunt, nihil habet ejusmodi, ut deficientibus certis indiciis saltem divinandi facultas nobis praebeatur.

In altera (B) paullo feliciores sumus. Habet enim scenam, quae ita magnam similitudinem cum scena quadam Terentianae Phormionis ostendit, ut casu id factum esse vix credibile sit. Quos locos hic contuli.

In Pseudolo Calidorus servusque Ballionem postquam ejus ad meretrices servosque orationem ex insidiis exceperunt, inde ad forum euntem persequuntur conanturque permovere ut per breve tempus iis vacet

In Phormione autem Phaedria cum lenone postquam exiit — utrum ex aedibus lenonis an ex ludo fidicinio (vs. 86) non satis apparet — obnitenti persuadere tentat, ut saltem auscultare velit, quae dicat.

Pseud. 255: Ps. Vah. manta. Ba. Omitte
Phorm. 486 Ph(aedria) Parumper (sc. audi) Do(rio) Quin omitte me.

Etiam in hoc loco operae pretium est videre, ut apud Plautum similis materia in multo majorem ambitum quam apud Terentium excreverit.

Phaedria a lenone, quum tandem substitit breve tempus petit, quo pretium pro amica adhuc solvere possit: et jure quidem, nam ante diem statutam, leno ejus amicam militi vendidit. Phorm. vs. 489

Nón queo te exorare ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?

ib. 512 sqq.

Néqueo exorare ut me maneat et cum illo ut mutet fidem
Tríduom hoc, dum id quod est promissum ab amicis argentum aufero,

Sí non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.

ib. 523 sqq.

An(tipho) Cérte, hercle, ego si satis commemini, tibi quidem olim dies
Quam ád dares huic praestituta. Ph. Factum. Do. Num ego istuc nego?

Paullo aliter in Pseudolo res se habet. Calidorus nescit lenonem virginem, suam amicam, vendidisse, sed quum dies solvendo pretio praestituta jam praeterierit, adhuc brevem moram a lenone sibi petit. Servus ut per totam fabulam sic etiam hic pro eo verba facit:

Ps. 285

'At dabit parabit: aliquot hos dies manta modo

ib. 316

Ca. ego in hoc triduo
Aút terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.

Phaedria lenoni preces suas aspernanti duritiam objicit:

Phorm. 497 sqq.

'Adeon ingenio esse duro te atque inexorabili
'Ut neque misericordia neque precibus molliri queas!
Do. 'Adeo te esse incogitantem atque impudentem, Phaedria,
'Ut phaleratis ducas dictis me et meam ductes gratiis.

Simili opprobrio simili modo respondetur in Pseudolo:

Vs. 308

Ca. Nílne te miseret. Ba. Inanis cedis, dicta non sonant.

In Phormione leno hanc causam, cur alium Phaedriae praetulerit, affert (vs. 520 sqq.):

'Ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli

Póllicitantem et nil ferentem, flentem: nunc contra omnia haec
Répperi, qui det neque lacrumet: da locum melioribus.

Similis sententia saepius in Pseudolo:

Vs. 248

⏑– mortuóst qui fuít: qui sit úsust

Vs. 306 sq.

Nón est justus quisquam amator, nisi qui perpetuat data:
Dét, det usque: quando nil sit, simul amare desinat.

Vs. 311 sq.

Ílico vixit amator, ubi lenoni supplicat:
Sémper tu ad me cum argentata accedito querimonia.

Cum leno in Pseudolo confessus est, se Phoenicium vendidisse, Calidorus simul stupefactus et indignabundus:

Vs. 343

Quó modo? Ba. Sine ornamentis cum intestinis omnibus.
Ca. Meám tu amicam vendidisti? Ba. Valde viginti minis,

in eum modum ad omnes quaestiones adulescentis indignati leno maxima impudentia respondet, quoad vs. 348 Calidoro roganti, quomodo tale quid facere ausus sit, aperte regerit:

Lubuit: mea fuit.

Simile responsum Phaedria fert:

Vs. 510 sq.

Ph. Pámphilam meam vendidit An. Quid vendidit? Ge(ta) Ain? vendidit?
Ph. Véndidit. Do. Quam indignum facinus, ancillam aere emptam meo.

Omnem operam vanam fore rati, lenonem enim neque moram neque aliud quicquam, quo Pamphila Phaedriae

servari possit, concessurum esse, homini male dicere incipiunt; servus in ea re strenue adjuvat.

Vs. 526 sqq.

Vánitatis. Do. Minume dum ob rem. Ge. Sterculinum. Ph. Dorio.
Itane tandem facère oportet? Do. Sic sum, si placeo, utere.

Etiam in Pseudolo Calidorus servusque lenoni maledicta ingerunt, Plautus vero in eo loco longius commoratur quam Terentius:

Vs. 359

Ps. Iam ego te dífferam dictís meis
Impudice. Ba. Itast. Ps. Sceleste. Ba. Dicis vera. Ps. Verbero
Ba. Quippini sqq. usque ad vs. 369.

Iam abiturus tandem speculam leno utrobique ostendit:

Phorm. vs. 531

Séd utut haec sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi
Míles dare se dixit: si prior tu attuleris, Phaedria,
Méa lege utor, ut potior sit, qui prior ad dandumst, vale.

Similiter in Pseudolo colloquio finis fit:

Vs. 372 sqq.

Vérum quamquam múlta malaque dicta dixistis mihi,
Nísi mihi hodie attulerit miles quinque, quas debet, minas,
Sícut haec est praestituta summa ei argento dies,
Si íd non affert posse opinor facere me officium meum —
Ca. Quíd id est? Ba. Si tu argentum attuleris, cum illo perdidero fidem
Hóc officium meumst.

Duo hi loci eam habent differentiam, eamque rursus congruentiam ostendunt, ut facile intellexeris, suo utrumque poetam more Graecae alicujus fabulae scenam similem convertisse. Hic igitur apte comparatio artis Plautinae et Terentianae institui potest. In qua, quamvis Plautus amplificando locum nimis in longum extraxerit [1], utique non ab omnibus partibus inferior est. Nam ejus nativa quaedam vis, quae hic quoque non deficit, ad multa, quae minus laudabilia sint, compensanda valet.

Quod magni momenti est, Phormio rursus Terentiana hanc cum Pseudolo similitudinem habet, cujus jam duas alias cum hac fabula notavi: alteram in eo positam, quod quasi vicario partem sui muneris servus callidus alteri allegat (Pseudolus Simiae, Geta Phormioni); alteram, quod servus minatus, se adulescentem, nisi dicto audiens sit, relicturum esse, ea ipsa re eum ad paullo majorem constantiam conformat. Ea sunt tamquam lineamenta similia in diversis tabulis aut eundem pictorem prodentia aut discipulum manum magistri imitatum.

Quarto loco huc pertinere puto Simiam a Carysto venire. Res per se satis levis, quod animi humani proprium est, variis modis omnibusque in rebus semper ad natale oppidum revagari, hic non aspernanda est, si quidem etiam alia indicia suadere videntur, ut poetae Carystio hanc fabulam assignemus. Quanquam nisi multo majora et plura fragmenta Graecorum comicorum inventa erunt, nemo prudentior Apollodoro Carystio hanc fabulam — vel potius alteram ex duabus, quas in Pseudolo Plautus secutus est, assignare audebit.

---

1) Veri simile enim est, ipsum Plautum aliam vertendi rationem secutum scenam Pseudoli tanto longiorem ea, quae in Phormione exhibetur reddidisse; conf. Ballionis verba vs. 278

Átque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer quod velis.

ARGVMENTVM.

CAPVT III. Critica et exegetica.

INDEX LOCORUM.[1]

[1]) Locos aut interpretatione illustratos aut quod ad rem criticam attinet tractatos asterisco (*) notandos curavi.

THESES.

I.

Injuria Langenus, Plaut. Stud. pag. 234 sqq., Amph. vs. 476—495 Plauto abjudicavit.

II.

As. vs. 614 legendum est:

Ar. O mélle dulci dulcior [mihi tu 's]. Ph. Certe enim *mihi tu vita 's*

Codd: tu vita 's mihi.

III.

Cist vs. 673 legendum esse censeo:

Quae in térgum meúm ne <*e*>veniánt male formído

IV.

Curc. vs. 281 legendum censeo:

Néc quisquamst tam <*opibús*> opulentus, quí mi obsistat ín via

V.

Ib. vs. 612 legendum censeo:

Cúm bolis, cum búlbis redd*in* étiam argentum aut vírginem?

Codd: redde

VI.

Bacch. vs. 1152 legendum censeo:

So. Meum pénsum ego lepide adcúrabo: quam<*quam*> *ódiost* Mortem ampléxari.

Codd.: quam odiosumst

VII.

Capt. vs. 797 legendum censeo:

Úmerus aries, túm genu [ad] quemque *éicero* ad terrám dabo

Codd.: iecero.

VIII.

Cas. vs. 221 legendum censeo:

Nam ubi amór condimentum ínerit quoivis plácituram <*cenám*> credo.

IX.

Ib. vs. 427 legendum esse censeo

Quid ópus est, qui *sim* mórtuos equidém tamen

Codd.: Sic.

X.

Men. vs. 443 legendum censeo:

Séd ego <*sumne*> inscítus, qui *ero me* póstulem moderárier?

Codd. drome.

XI.

Pers. vs. 300 legendum censco:

Herclé istum abiisse gaúdeo — foris *crépuit*, eccere aútem

Codd. aperit.

XII.

Poen. vs. 854 sqq. personae distribuendae sunt in hunc modum:

Sy. Hábe rem pactam, si futurumst. Mi. Do tibi operam hanc. Sy. Quo modo?

Mi. Út enim ubi mi vapulandum sit, tu corium sufferas.

Sy. 'Apage, nescio, quid viri sis. Mi. Malus sum. Sy. Tibi sis. Mi. Te volo.

XIII.

Most. vs. 186 Censeo legendum esse:

Equidém pol miror tám catam, tam dóctam te et bene <*e*>dúctam

Codd.: bene doctam.

XIV.

Rud. vs. 1169 sq. legendos esse ceseo

Pa. Póst in<*est*> sicula árgenteola et duaé conexae mániculae [et]

Gr. Súcula? quin tu | í dierecta cúm sucula et cum pórculis.

Codd.: Sucula — Gr. quin sqq.

XV.

Trin. vs. 1028 legendum censes:

Útinam <*vitae*> véteris homines, véteris parsimóniae.

XVI.

Truc. vs. 707 legendum esse censeo:

Sáluos sum, quia péreo: si non péream, plane *périerim*

Codd.: uriem.

XVII.

Ib. vs. 875 sq. legendos esse censeo:

Ín <*m*>eam rem<*st*>: síquid habebo, tíbi quoque etiam próderit:
Si aúferes [puerum] *tum* a mílite omnis míhi spes animam effláverit.

Codd.: a milite omnis tum mihi.

XVIII.

Ib. vs 966 legendum esse censeo:

R*ém am*abo siquís animatust fácere, faciat út sciam.

Codd.: romabo.

XIX.

Ambrosianum atque Palatinos ex eodem fonte manasse Leo (Plaut. Forsch. Cap. I) non satis firmis argumentis probavit.

XX.

Si recte statuitur apud Terentium hiatum non legitimum esse, inde non concludendum est, item rem se habere apud Plautum.

XXI.

Fabula Graeca ad quam Plautus Curculionem expressit primum a° 303 a. Chr. n. scripta esse potest.

XXII.

Petr. Sat. 60 (Büch [3]. p. 40, 13) legendum esse censeo:

avidius ad *poma* manus porreximus

Codd.: ad pompam

XXIII.

Cic. de Orat. II, 328 Kayser prave Victorii emendatinem, consistitur pro eo quod codd. habent constituitur legentis, neglexit.

XXIV.

Comparatio sagittarii, de Fin. B. et M. III, 6, 23, ut enim . . . . . q. s. depravata libris traditur.

XXIV.

Cic. Tusc. Disp. I, 16, 37, inter

'Altae Acheruntis salso sanguine
imagines mortuorum . . . . qs.

lacuna statuenda est.

XXV.

Ib. 30, 37.

Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui cum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent; sic mentis acies se ipsa intuens nonnunquam hebescit, ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus inter intuerentur et ut lacuna statuenda est.

XXVI.

In fragmento Philoctetae Accii, quod occurrit Cic de Fin. V, 11, 32 metrum Bacchiacum restituendum est et (ut Accio sua reddantur) tertia persona verbi, quam Cicero habet primam, mutanda in hunc modum:

Confige*bam* tárdus celerés, stans volántes

Codd. configit.

XXVII.

Quint. Inst. Or. X, VII, 1, legendum esse censeo vix enim bonae fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod praesentissimis quibusque periculis desit, *mon*strare portum, ad quem navis accedere nisi lenibus ventis vecta non possit.

Codd. intrare.

XXVIII.

Iniuria Cobetus (Nov, Lect. p. 320), Xen. Hell. VII, 17 *ὥστε οἱ Ἄρκαδες οὐδὲν ἄλλο πράξαντες ἢ δῃώσαντες αὐτῶν τὴν χώραν ἀπῆλθον*

πράξαντες delet.

XXIX.

Dem. Phil. III, 29 legendum esse censeo:

ἐπεὶ ὅτι γ' ὥσπερ περίοδος καὶ καταβολὴ πυρετοῦ ἢ ἄλλου τινὸς κακοῦ.

Codd. *ἢ*·

XXX.

Dem. in Midiam, 60 legendum esse censeo:
ἀλλ' ὅμως πολλῶν χορηγῶν φιλονικησάντων, οὐδεὶς πώποτε τοῦθ' εἵλετο τὸ πλεονέκτημα.
Codd. *εἶδε.*

XXXI.

Dem. de fals. Leg. 147 legendum esse censeo:
ἂν δὴ ταῦτα λέγῃ πρὸς θεῶν ἐρωτήσατ' αὐτὸν μεμνημένοι, πότερ' ἐξ ἑτέρας ᾤχετο πρεσβεύων πόλεως ἢ τῆς αὐτῆς.
Codd. aut *ταύτης αὐτῆς* aut *ταύτης τῆς αὐτῆς*, Blass. *ταύτης*.

XXXII.

Ib 150 *Ἐπειδὴ γὰρ ἡ μὲν εἰρήνη τέλος εἶχεν αὕτη, ἡ τοῦ Φιλοκράτους, ἣν συνεῖπεν οὗτος.*
Verba *ἡ τοῦ Φιλοκράτους* pro glossemate delenda esse censeo.

XXXIII.

Johannes Tzetzes in opusculo suo, cui *γένος Ἡσιόδου* titulus est, unam praesertim vitam, ab antiquiore aliquo grammatico conscriptam, secutus est, atque ita, ut partes, quas ex ea sumpserit, et materiae et stili diversitate ab reliquis opusculi partibus discernere possimus.

XXXIV.

In illa vita pro vocabulo *ἐπεσίτισαν* (ed. Flachii, p. V), quod tamen jam Tzetzes invenit, olim fuit *ἐρρίπισαν.*

XXXV.

Verba *οἱ δὲ Ὁμήρου τετρακοσίοις ὑστερίζοντα ἔτεσι, καθά φησι καὶ Ἡρόδοτος* (ib. p. VII in fine) pro glossemate expungenda sunt.

XXXVI.

I vss. 395—490 etiam si sero demum Odysseae inserti sunt, antiquam tamen originem produnt.

XXXVII.

In Soph, Ant. 185 Demosthenes legisse videtur: *οὔτ' ἂν σιωπήσαιμι τὴν ἄτην ἐμοῦ.*

XXXVIII.

Ib. vs. 1302
λύει κελαινὰ βλέφαρα κωκύσασα μέν
injuria Nauckius (in Comm. ed. Weidm.) annotavit: „*λύει βλέφαρα* kan schwerlich etwas anderes bezeichnen als ‚die Augen öffnen'."

XXXIX.

Soph. Ai. 835 legendum propono:
καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε πανδίκους
ἀεί θ' ὁρώσας πάντα τὰν βρότοις πάθη
Codd. *παρθένους.*

XL.

Injuria Nauckius. Soph. O. C. vs. 1256, qui in cod. Laur. deficit, spurium judicavit.

XLI.

Sine causa necessaria Naberus, Ar. Av. 542 sq.
τάσδε τὰς τιμὰς προγόνων παραδόντων
ἐπ' ἐμοὶ κατέλυσαν
ἐπ' ἐμοὶ in *ἐν ἐμοὶ* mutare voluit.

XLII.

Ar. Ach. 24 sq

— — ∪ εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς
ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου.

Naberus sine justa causa in περὶ ξύλον mutavit.

XLIII.

Ante Ach. vs. 85 lacuna, unius fortasse versus, statuenda est.

XLIV.

Vs. 197 legendum censes:

καὶ μηκέτι τηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν.

XLV.

Lysippi fr. 7 (Kock I, p. 702) legendum esse censeo:

εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας στέλεχος εἶ,
εἰ δὲ τεθέασαι, μὴ τεθήρευσαι δ' ὄνος,
— εἰ γ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις — κανθήλιος.

XLVI.

Men fr. 14 pro πτωχῷ τέχνην legendum est πτωχοῦ τέχνην.

XLVII.

Vocabulum Κηρυττόμενος, qui titulus est fabulae Alexidis, declarat hominem, qui sibi auctionem habet.

XLVIII.

In v. Arist. (Ar. ed. Bergk, Prol. p. XLIV), 4 legendum est: διήχθρευε δὲ αὐτῷ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, καθότι ἐν δράματι αὐτοῦ κτλ.

Codd. καὶ ὅτι.

XLIX.

Reiskii conjectura Dion. Hal. Ant. Rom. VIII, 72 in fine καὶ ἀσφαλέστερον τοῖς πολλοῖς μικρὰ λαβοῦσιν ὁμοίως ἔχειν ἢ πολλὰ ἐλπίσασιν ἁπάντων ἀποτυχεῖν pro ὁμοίως vel ὁμῶς vel βεβαίως proponentis, rejicienda est.

L.

Ib. 73, 3 Legendum censeo: καὶ στήλαις εὐκόσμως διαγραφεῖσαν.

Codd.: εὐκόσμοις.

LI.

Veri simile est, sacerdotium regis sacrificuli ante reges expulsos institutum esse.

LII.

Et juris antiqui ratio et linguae Latinae nos adducere debet, ut vocabulo patribus in dictione patres conscripti significationem patrum familias attribuamus.

LIII.

Belochii sententia, quam exposuit Rh. Mus. XLIX p. 111 sqq., Phoenicios VIII demum et VII a. Chr. n. saeculis cum gentibus Aegeo mari accolentibus commercium exercere coepisse non probabilis est.

LIV.

Philippus eo potissimum sua consilia exsequi potuit, quod ejus temporibus bella non amplius a civibus sed a mercennariis geri solebant.

LV.

In Introd. ad Or. Sel. Demosthenis (p. 30) Rehdanz

X,

de Eubulo rem publicam administrante nimis iniquum judicium tulit.

LVI.

Het is verkeerd, dat de wet voor het schrijven eener dissertatie ter verkrijging van den graad van doctor in de klassieke letteren het gebruik van het Latijn verplichtend gesteld heeft.
